IOANNIS MORINI BLESENSIS ... DIATRIBE ELENCTICA DE SINCERITATE...

Jean Morin





Mihi Ion: Hieronimi Roncalli
dono traditus ab authore


IOANNIS MORINI BLESENSIS
CONGREGATIONIS ORATORII
IESV CHRISTI Presbyteri


DIATRIBE ELENCTICA DE SINCERITATE HEBRÆI Græcique textus dignoscenda, aduersùs insanas quorumdam Hæreticorum calumnias.

ACCEDVNT

Appendix, in qua nonnulla Diuinitatis & Incarnationis IESV CHRISTI *D. N. illustrissima testimonia in Hebræo textu nunc corrupta Talmudis & Rabbinorum antiquorum autoritate restituuntur:*

ET ANIMADVERSIONES
IN CENSVRAM EXERCITATIONVM
ad Samaritanorum Pentateuchum.






PARISIIS,
Excudebat ANTONIVS VITRAY, Regius & Cleri Gallicani Typographus.

M. DC. XXXIX.

Cum licentia Superiorum.

NOs subsignati Doctores sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis legimus Tractatum Polemicum, & Apologeticum R. P. Morini de Sacri Textus Hebræi, & Græci sinceritate, quem pugnaci stilo aduersus conatus Scribarum hebraisantium, & Ecclesiæ segregum scripsit, in quo certè nil peccatum est contra Canones Fidei. Et si quid in Opusculo hoc, vir aliàs modestissimus acerbiùs in heterodoxos Scribas dixit, id potiùs zelo defendendæ veritatis quàm animo priuatæ iniuriæ regerendæ tribuendum duximus. Datum Parisiis die 28. Aprilis, an. 1639.

I. CHASTELLAIN. CHAPELAS.
HALLIER.



ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

ANTISTITI

ACHILLI HARLÆO

MACLOVIENSI EPISCOPO

IOANNES MORINVS Congregationis Oratorij IESV CHRISTI Presbyter.

NON *parum meâ interest*, Illustrissime Præsul, *publicè testatum relinquere te non indignum me existimauisse quem beneuolentiā, & amicitiâ tuâ prosequerêris. Quid enim honorificentius literarum amāti contingere potest, quàm viro animi virtutibus vndique maximo charum esse & familiarem? Adolescens studiorum Theologicorum ea specimina edidisti, quæ Galliam vniuersam tui admiratione compleuerunt. Te enim ado-*

lescentem natalium splendor, Parentisque egregia in Regem Patriamque merita latêre non sinebant: Iuuenis septennij legationem in Oriente obiisti; quo tempore nullas horas subcesiuas tibi perire passus es, sed omnia scientiarum genera, potißimùm autem literas Hebraicas & Chaldaicas labore improbo, & diligentiâ incredibili excoluisti; ita vt in Galliam reuersus ordinariam omnium hominum de exactißima istarum linguarum cognitione opinionem, fidémque longè superares. Ætate postea prouectior, Deo te, tuaque deuouisti, Congregationemque nostram in qua sacris initiarêris, votique compos fieres, elegisti, è qua te Dei prouidentia, Ecclesiæ suæ necessitati, honori, majestati consultura, ad Sacerdotij summum apicem euexit.

Multa alia sunt, quæ licet priuatim meâ non intersint, persuadent tamen vt beneficiorum communiter acceptorum non immemor, hoc opusculum tuo nomini


nuncupem. Congregationem noſtram inopem opibus tuis ſuſtentaſti, beneficijs dotaſti, donis & muneribus cumulaſti. Bibliothecam eius ingenti librorum præſertim Hebraicorum, Chaldaicorum, & omnis generis Rabbinicorum, excuſorum & manuſcriptorum ſupellectile, maximo ſtudio & maximis impenſis in Oriente comparata, auxiſti & ditaſti. Sed hoc nobis charius & amabilius: Congregatio noſtra te Collegâ ſodalique annis quatuordecim decorata eſt, fratremque tuum vnicum, perpetuæ tuæ amicitiæ & beneuolentiæ pignus poßidet, qui poſt multa militiæ, domi foriſque præclarè geſtæ teſtimonia, innumeraſque fortitudinis laureas reportatas ſecularis militiæ cingulum exuit, vt Chriſtianæ indueret, fallacibuſque rerum humanarum curis exemptus, ſoli Ieſu Chriſto militaret.

Si verò rem ipſam conſidero de qua hac Diatribe diſſeritur, ambit illa nomi-

nis tui auſpicium, aſylumque. Eccleſiam enim Dei viui multis argumentis & exemplis contendo columnam eſſe & firmamentum veritatis, & quà doctrinæ, & quà codicum deificorum, vt in Africa loquebantur antiqui Chriſtiani, ſinceritas attenditur. Hebræis Græciſque textibus concedatur vtilitas maxima, laus maxima, exemptio de malignis corruptelis abſolutiſſima: id vehementer approbo. Verùm ijs ne vtantur hæretici in Eccleſiæ Catholicæ contemptum, codicum eius lacerationem, & antiquorum Patrum qui ex iis Sacroſancta religionis Chriſtianæ myſteria expreſſerunt, opprobrium & vellicationem.

Is autem es, Eruditiſſime Præſul, *qui hac de re æquiſsimum iudicium ferre potes. Literas enim ſacras ab ineunte ætate edoctus es, quarum ſtudium nunquam intermiſiſti; Archetypos codices, eorumque interpretes, Græcos, Hebræos, Chaldæos, nullo negotio per teipſum euoluis,*

comparas, dispungis. Tot igitur nominibus, & priuatis & publicis tibi deuinctus, hanc opellam grati animi mei qualecunque futurum monumentum tibi addico & consecro. Leue quidem munus, tuæ tamen amicitiæ securus illud tibi probatum & acceptum iri confido. Deus te, Illustrissime & Doctissime Præsul, *Ecclesiæ suæ, literis, &* Congregationi *nostræ quàm diutissimè seruet incolumem.*



INDEX CAPITVM, QVÆ huius Diatribes parte priore continentur.

PRÆFATIO.

INDEX ELENCHORVM PARTIS POSTERIORIS.

INDEX
ANIMADVERSIONVM
in Censuram Exercitationum Ecclesiasticarum ad Pentateuchum Samaritanum, Pars prior.

INDEX
ANIMADVERSIONUM
in Censuram Exercitationum Ecclesiasticarum ad Pentateuchum Samaritanum, Pars posterior.

In qua Censoris notæ expunguntur.

FINIS.



DIATRIBES ELENCTICÆ

De Sacri textus, Hebræi & Græci ſinceritate dignoſcenda.

PARS PRIOR.

AVTORIS PRÆFATIO,

Qua

Aduerſariorum imperitia, malignitas, conuitia, ſycophantiæ, ἀσυλλογιστίαι, ſtrophæ, σκιαμαχίαι, aliaque idgenus peccata per vniuerſum libellum extantia deſcribuntur.



IAmdudum eſt cum incerto rumore nuntiatur mihi, nunc Anglos quoſdam, nunc Hollandos in opuſcula mea ſtylum ſtringere. Liber qui hyeme proximè exactâ in manus meas peruenit, rumorem non omnino vanum fuiſſe confirmauit. Homines duo quorum vnus vt audio, Anglus eſt,

alter Hollandus Vltraiectẽsis, coniunctis operis illum composuerunt. De his atque eiusmodi scriptis sic apud me statutum est: Aut animaduersiones nostras carpunt, qua studium & diligentiam nostram spectant, aut qua Ecclesiæ Catholicæ doctrinam stabiliunt. Sanè si prius non insana detrahendi & obtrectandi libidine faciunt, non modò patienter fero, verùm etiam laudo. Memini enim me esse hominem; quacunque in causa falli potuisse & decipi, nedum in hac quæ eruditorum paucissimorum oculis obuersatur, quæque à tot autorum Iudaicorum, antiquorum & recentium abditissimis testimoniis arcessitur. At si posterius, ausum est non ferendum. Tum silere præuaricari est, & furentibus cedere, veritatem prodere.

Istorum hominum libellum cum primùm legi statim animaduerti non tantùm ab ijs vtrumque peccatum esse commissum, sed etiam alia plura quæ vix vnquam viris modestis contingunt. Ab ijs frustra modestiam & eruditionem expectes: ignorantiam enim, stoliditatem, conuitia, furorem vbique spirant. Mihi diligentiùs insolita ista peccata perpendenti visum est ad quatuor capita generatim ea

reuocari poſſe, quæ antequam rem ipſam aggrediamur breuiter enarramus. Quàm grauia ſint, lector æquus judicet: Non enim ſperamus deſperatiſſimæ ſpei homines erroris admonitione, aut etiam conuictione commoueri poſſe.

Ουποτε ποιήσεις τὸν καρκῖνον ὀρθὰ βαδίζειν.

Primum peccatum eſt eiuſmodi quale committi poſſe ab homine mentis compote vir prudens nunquam ſuſpicaretur. Opinionum monſtra de quibus aſſerendis ne cogitaui quidem, nedum ſcripſi, imò in quæ perſæpe data opera in illa ipſa præfatione impetum feci, mihi imputant; deinde in ea atque in me excandeſcunt, debacchantur, inſaniunt, furunt. In tota illa diſputatione præter nomen meum nihil meum agnoſco. Animi ſui figmenta telis ſuis nunquam non petunt; animi noſtri ſententiam nunquam vel leuiſſimè attingunt: Ne libri quidem titulus, ſi nomen meum expungas, ſententiam meam ferit. Itaq; licet eam planiſſimè in ſcriptis meis expoſuerim; Nunc tamen multo magis eſt mihi in ea iterum explicanda laborandum quàm in refellendis Aduerſariorum argumentis.

Secundum iſtorum hominum pecca-

tum non est præcedente minus insanum. Spectra mormonésque sibi debellandos proposuerunt, non sententiam nostram. Facile igitur ijs erat sententiæ nostræ argumēta cum spectris & mormonibus suis comparando eorum aciem effugere, aut plumbeam demonstrare. Quis enim quas chimæras fixit, non facilè refixerit? Quis animi sui ægritudine laborantis insomnia sanus factus non lubens riserit? At ambo cum laruis suis digladiaturi, sentētiæ meæ argumenta quę plurima sunt vnico excepto, omnia prætereunt, atque in nescio quas diuisiones testimoniorum quæ de veteri testamento citantur in nouo, & in diuisionum istarum annotamenta quædam quæ nemo negauerit, diuagantur: Itaque cum illorum liber titulo præferat, *Examen Præfationis Morini in Biblia Græca de textus Hebraici corruptione, & Græci authoritate*, nihil minus agunt quàm quod lectori pollicentur.

Multa & diuersa complectitur Præfatio nostra. In ea disserimus de antiquis Hebraicorum codicum interpretationibus, de autoritate 70 Interpretum iuxta antiquorum Patrum, atque etiam Rabbinorum sententiam, de causis discriminis

quod inter Græcum & Hebræum textum tam ingens deprehenditur. Plurimæ eius diſcriminis cauſæ enarrantur, & vnaquæque exemplis illuſtratur. Denique de variis textus Hebraici lectionibus ex Iudæorum mente diſputamus, ex quibus colligimus Hebræo textui ὁλόκληρον integritatem non eſſe vindicandam. Quid ad hæc Aduerſarij noſtri? Clauſis oculis omnia prætereunt non ſecus ac ſi numquam ſcripta fuiſſent. Vnicum tantùm argumentum ex cap. 10. Epiſtolæ ad Hebræos deſumptum ſibi leuiſſimè exagitandum proponunt. Libri tamen titulus pollicetur Præfationis meæ examen. Quis vnquam quia libro ſuo titulum refutationis appoſuit, ſe refutaſſe credidit? An exiſtimant Locutulei iſti ſe adeo acutos & verſipelles, vt cornicum oculos configere poſſint? Quid igitur, inquies, agunt toto illo libro? Iam diximus, ſpectra ſibi fingunt; Deinde teſtimonia ab Apoſtolis citata in varias claſſes minutiſſimè diſſecant, hacque ſola & nuda diſſectione, nullo eruditionis ποικιλμάτων condîta vt Andabatæ in cimmeriis tenebris aduerſus ſpectra & inſomnia ſua luctantur. Sed de his poſtea κατὰ μέρος.

Tertium peccatum eſt ſupina iſtorum hominum ignorantia, in quorum libro nullum extat vnquam tantillæ eruditiunculæ ſpecimen vel leuiſſimum. Lege, perlege, relege libellum, quid aliud ex eo colliges, quàm quod ait Comicus?

Ἐπιφυλλίδες ταῦτ' ἐστὶ, καὶ στωμύλματα
χελιδόνων μουσεῖα, λωβηταὶ τέχνης.

nihil præterea. O maledicentiſſima pecora, miſeras chartas qua fronte maculare & perdere audetis, aliorúmque otio tam turpiter abuti? ô loquaces talpæ, num remordet animum veſtrum ſtupidiſſimæ ignorantiæ conſcientia? Bipedes aſini qua impudentia perciti libellum exanguem, exuccum, inſulſum, omni eruditione & literatura caſſum edidiſtis, cum occaſione præfationis noſtræ examinandæ, ſi mens vobis ficulnea non eſſet, obſeruationibus eruditis nec obuiis diſputationem veſtram paſſim aſpergere, & illuſtrare potuiſſetis? Crediderunt forſan belli iſti homines lucubratiunculâ ſuâ ſeſe virûm docta per ora volitaturos. Volitabunt ſanè, ſed vt noctuæ inter cornices, picæ inter luſcinias.

Quæret forſan aliquis quamobrem indignante vulgatiſſimo prouerbio, ne Her-

cules quidem contra duos, aduerſum me ſcripturi mutuas operas tradiderunt. Quamobrem Franciſcus ille Taylor qui prior inſcribitur, ætatis an ignorantiæ prerogatiua neſcio, virum aliquem doctrinâ conſpicuum ſibi non coniunxit? Mirari deſine Lector, ratio eſt in promptu: Aſinus aſino pulcher videtur, & beſtia beſtiam nouit. Ideo ſtolidiſſimus Taylor ſodalis ſui exquiſitiſſimam ſtoliditatem peramanter amplexus, & admiratus eſt, vt fricans refricantem nanciſceretur, &

------ *Alter*

Alterius ſermone meros audiret honores.

Iſtorum hominum ſtupidam ignorantiam, candide Lector, tragicè non exaggero: Rem proprio nomine appello, fucato equidem non coloro. Quiſquis in libellum iſtum oculos coniecerit, nihil me hyperbolicè efferre fatebitur. Iactant ſe aduerſus Exercitationes meas Samariticas ſcripſiſſe. An in lucem editus ſit liber, hactenus neſcio: nondum eſt hûc allatus, nec à quoquam hîc viſus. At ſi ex libello qui nobis eſt præ manibus, reliqua eorum ſcripta iudicentur, nihil prorſus ſani & eruditi ab iis ſperandum eſt. Quid enim in controuerſiis abditiſſimis quæ Rabbi-

norum & Talmudiſtarum lectione potiſſimùm deciduntur, ab iis ſperes, qui de rebus hebraicis ſic ſcribunt, quaſi Iudæorum libri nuſpiam terrarum reperirentur? Bruta iſta animantia ignariſſimæ ſtupiditatis à nobis admonita & caſtigata forſan aliquantulum ſapient. Sin minus, poſthac ſaltem tam immaniter rudere deſinent, & auriculas demittere cogentur

---- vt iniquæ mentis aſelli
Quum grauius dorſo ſubiit onus

Poſtremum peccatum quod nunc notamus, inſanum eſt iſtorum hominum maledicendi cacoethes. Nunquam de me loquuntur, quin in atrociſſima ſtatim conuitia, verbaque furentium erumpant. Execrandum monſtrum paſſim me vocant, rabioſam belluam, impurum latratorem, canem, fatuum, inſanum, ſacrilegum, ſceleratum, hominem infinitæ ſtoliditatis & deſperatiſſimæ vecordiæ. Plura eiuſmodi conuitia deblaterant è triuio, plebiſque debacchantis furore deſumpta, ita vt vel ex ipſis conuitiis facilè iudices iſtorum hominum ingenium nulla fuiſſe vnquam eruditione politum. Sanè cum amborum ora intemperantia, infræna, furentia conſidero, mentem ſubeunt hæc Homeri

Ἐστι γὰρ ἀμφοτέροισιν ὀνείδεα μυθήσασθαι
Πολλὰ μάλ' οὐδ' ἂν νηῦς ἑκατόν ζυγος ἄχθος
ἄροιτο.

Videnturque mihi ſocietatem iniuiſſe, non tantùm, vt dictum eſt, quod animorum, & morum ſimilitudo mutuam inter eos amicitiam conciliauerit, verùm etiam vt tragicis clamoribus ſuccenturiatis innatum ſibi conuitiandi furorem inflammarent, aſpiſque, vt ait Tertullianus, à vipera venenum mutuaretur. Senſerunt quod canit Poeta,

Συμφερτὴ δ' ἀρετὴ πέλει ἀνδρῶν καὶ μάλα
λυγρῶν.

Qua alia ratione ad tam atras & ſpurcas iniurias euomendas commoueri potuerunt? Cuiuſquam famæ nunquam detraxi: Hoſtium fidei Catholicæ ingenium, ſcientiam, diligentiam quum de iis verba me facere contigit, agnoui & prædicaui: Naturæ dona quæ Deus iis infudit, ſtudiumq; quo excoluerunt ea, à religionis cauſa, eorumque in religionem debacchationibus ſemper diſtinxi:

Hunc ſeruare modum noſtri nouere libelli
Parcere perſonis, dicere de vitiis.

Innata igitur malignitas per ſummam imperitiam audacior facta eos ad me homi-

nem illis incognitum tam atrocibus conuitiis & horrendis ſycophantiis appetendum impulit. Sed iſta nauci facio. Vt enim neminem probum aut ſapientem laudes efficiunt, ſic nec improbum aut inſipientem conuitia & calumniæ.

Verùm hac in cauſa id me malè habet, quod eos etſi maximè velim, laudare non poſſim. Nulla enim ſunt in iis eximia naturæ dona, nullum ſtudium, nulla ſcientia. Meipſum igitur viris doctis deridendum propinarem ſi laudarem in iis virtutes quæ nullæ ſunt, vitia verò quæ plurima inſunt, præterirem. Deinde ipſorum liber totus quantus eſt, nihil aliud eſt quàm perpetua & euidentiſſima calumnia. Eas opiniones mihi ſemper imputant quas non modò negaui, ſed etiam abhorrui, & ſæpius fatuitatis condemnaui. Itaque aut mihi eſt omnino ſilendum, aut ſi iuſta mihi competit defenſio, illos calumniarum & ſycophantiarum non poſſum non accuſare. Cum igitur noſtri defenſio neceſſariò coniuncta ſit cum perpetua querimonia de Aduerſariorum imperitia & calumniis,ab ea libenter abſtinuiſſem, niſi graues aliæ cauſæ ad eam ſuſcipiendam me commouiſſent.

Nonnullas, optime Lector, ob oculos tuos proponere viſum eſt : Ne ſcilicet cum Hæretici ſint, ſilentio meo aliquid ſimplicioribus Catholicis quod doctrinæ Catholicæ præiudicet, imponatur. Præterea ne quis libelli iſtius lectione ſeductus exiſtimet tam fœda opinionum monſtra mentem meam aliquando inſediſſe : fieri enim facilè poteſt, vt in eorum manus incidat libellus ille qui præfationem meam in 70 Interpretum editionem vel non legerunt, vel de ea nihil aliud vnquam quàm quod illi mentiuntur, audiuerunt. Itaque mea plurimùm intereſt, lectores ſemel ſaltem prodigioſæ impoſtorum iſtorum malignitatis eſſe admonitos. Denique vt in libris quos aduerſum me ſcripturiunt (minantur enim Atlantes homunculi) σκιαμαχεῖν tandem aliquando deſueſcant. Cum igitur tot legitimis rationibus adacti, nec præfationis noſtræ defenſionem deſerere debeamus, nec Aduerſariorum imperitiam & calumnias diſſimulare poſſimus, non ferent grauiter, ſi ſupereſt illis æquitatis ſcintillula, labem vnam aut alteram ex innumeris à nobis adnotari ; nec conuitium exiſtimabunt Lectorem de tam tetris calum-

niis, & crassissima sua ignorantia nonnunquam admoneri: Æquum sanè est, vt qui alterum maledictis incesserit iniquissimè, audiat tandem

---- πολλὰ καὶ οὐ ψευδῆ κακά.

Quidquid autem facturi sint, ampliori admonitione supersedebo. Timeo enim ne operam meam in illis erudiendis infeliciter perdam

---- vt si quis asellos
In campum doceat parentes currere frænis.

Rem ipsam aggrediamur.

Calumniarum τὸ ἀναιδὲς Calumniatorum verbis demonstratur, & iniquitas notatur, eorum conuitia, phrenitis, κακοήθεια, cassus & ridiculus labor.

CAPVT I.

VNiuersæ disputationis suæ aduersus eam præfationem quam editioni Sixtinæ 70 Interpretum Parisiis repetitæ præmisi, fundamentum iaciunt Franciscus Taylor, & Arnoldus Bootius horrendum opinionis monstrum de quo nemo mentis compos, nedum prudens, cogitauit vnquam, Morinum videlicet scribere,

omnia testimonia quæ ex veteri Testamento referuntur in nouum, ad vnguem & verbo tenus legi debere in veteri Testamento, vt ab Apostolis in nouo Test. citantur: Si quid tantillæ varietatis deprehendatur, id in hebraico textu corruptionis argumentum portendere. Hoc iacto fundamento, inquiunt, Morinus hęc duo Theoremata demonstrari posse putat: Primum, Græcam versionem quæ editione Romana repræsentatur, genuinam esse & authenticam, atque ex omni parte incorruptam, qualis ab ipsis Interpretibus profecta est. Secundum, Hebræum textum mendosissimum esse, deprauatissimum, & omnium pedibus conculcandum. Hinc velut data porta, disruptisque carceribus in clamores ruunt, furiasque plusquam tragicas

Vipereumque vomunt, nostro sub nomine virus.

Assertionum istarum quas Morino affingunt, ex illius scriptis testimonia nulla proferunt. Ipsorum affirmationi stari volunt. At negat ille hæc opinionum portenta sibi vnquam in mentem venisse; illa auersatur, horret, refugit. Negat in scriptis suis vel leuissimam sententiolam re-

periri posse ex qua tam insanarum propositionum colligendarum vlla prębeatur occasio. Negat stolidissima, & maledicentissima pecora ista, Taylorum & Bootium testes esse hac in causa omni exceptione maiores, actionemque calumniæ, licet duo sint, illi tamen vni iure in eos competere, ambosque reprobari, & legitima exceptione submoueri posse contendit.

Non expressa non nocent, aiunt Iurisconsulti. Cum nullo indicio tam absurdas propositiones me vulgasse doceant, cur nocebunt mihi tam absurdæ furentium hominum calumniæ. Si fauendum alterutri, sanè Reo potius quàm Actori. Negat Reus, affirmant Actores, nec probant, cui credes Lector? In obscuris, aiunt Iurisconsulti, inspiciendum quod vero similius est, aut quod plerumque fieri solet. Fingamus insanis istis propositionibus contrarias luce meridiana clarius me non docuisse, sed nonnullis obscuris dictis & sententiis innuisse hanc insaniam mihi fuisse cordi. Quum igitur hac data positione sit obscurum, an adeo insaniuerim necne, Quid aliud inde par erat eos colligere, si rectam rationem in eorum

mentibus rabies non extinxiſſet, quàm quod plerumque fieri ſolet? An credunt eos vt plurimùm inſanire, qui de grauiſſimis rebus ſententiam ſuam poſteritati commendant?

Paucis his verbis, Lector, vniuerſo iſtorum operi reſponſum eſt, eorumque calumniæ refutatæ; vixque habemus prætereа quæ nobis regerere neceſſarium ſit. Varias enim illas teſtimoniorum veteris Teſtamenti in nouo citatorum comparationes quas toto libro inſtituunt cum textu Hebræo & Greco ſeptuaginta Interpretum, non modò in eundem finem generatim admittimus, ſed etiam aliter ſentire quàm ipſi de ea re ſentiunt, ridiculum plerumque exiſtimamus. At illis placuit ea multis adnotare, vt admodum recondita, & ſcitu digniſſima quæ ignorat nemo; ea verò nobis imputare quæ nemo ſanus ſibi finxerit. Generatim dico; multa enim teſtimonia in claſſes heterogeneas diſtribuunt, & longè pluribus vnamquamque claſſem inferciunt, ex quibus nihil eorum colligi poteſt quæ ſibi proponunt, licet æqua ſibi proponant. Verùm ipſi viderint; Vtimur enim curru, de aſinis parum curamus.

Quanquam tam pauculis verbis eorum procacitas ſit reuicta, ſitque innocens probatus, qui nocens probari non potuit, demonſtrabo tamen doctrinæ cuius tam proteruè me inſimulant contrariam euidentiſſimè ſępius, & ſcripſiſſe me, & docuiſſe. Nec cauſam comperendinatam cupio; iamiam agetur, ſi prius tria illa opinionum monſtra κακῶν κοράκων κακὰ ὠὰ pudentes iſtos homines mihi tribuere probauero. Adeo enim à ſenſu communi abhorret iſta calumnia, vt nonnihil reformidem ne mihi de ea conquerenti Lector diffidat. Vnamquamque ergo propoſitionem, Lector, ipſorum verbis exprimemus, vt earum abſurditatem me referendo minuiſſe, eademque opera quam præclaris elogiis ab ipſis decorer, quámque humaniter & amanter mecum agant, non ignores. A prima ordiemur.

In limine libri Lectorem ſic alloquuntur, *Præcipuum autem ſuæ contra illam* (Hebraicam veritatem) *inſaniæ prætextum quærit ex aliquot noui Teſtamenti locis, in quibus teſtimonia ex veteri fœdere citantur, ita vt cum Græca verſione concordent non cum hebraica veritate. Hinc enim probari putat, & Græcum textum eſſe ſincerum atque*

authen-

authenticum, & hebraicum vitiosum atque corruptum tanquam pro concessa sumens illam hypothesin, quod veteris T. loci omnes qui in nouo fœdere citantur, ita se habere debeant, quomodo ab Apostolis & Euangelistis citantur. Et pagina 17. *Namque si illud semel admittamus quod ille scelerata contra hebraicam veritatem rabie percitus statuit, Quidquid cum allegationibus in nouo Testamento factis non ad verbum congruit adulteratum esse & corruptum, actum est, &c.* Et pagina 63. *Vnde tantò magis apparebit Morini infinita stoliditas ac dementia, exigentis absolutissimam omnium hebraicæ veritatis verborum concordiam cum iisdem citationibus, & immensa atque sacrilega audacia eam de vitio ac corruptela infamantis, quia hoc non vbique fiat.* Et pagina 106. 107. *Ex hisce vnusquisque qui noluerit sponte cæcutire aut insanire, liquidò percipere potest desperatissimam Morini vecordiam, exigentis vt hebraica veritas in omnibus dictionibus ad vnguem congruat cum allegationibus N. T. & vbicumque id non fit eam pro corrupta condemnantis, atque sacrilegas manus ei adferentis.* Pagina 115. Eâdem calumnia repetita colligunt, *Quare euersum funditus est Morini argumentum, quod tan-*

to apparatu in ſacrilega iſta præfatione in ſcenam produxit. Hæc de primo impoſturæ monſtro quod per totum libellum graſſatur, probata ſufficiant.

Secundum calumniæ monſtrum mihi non minus euidenter imponunt, & velut conceſſum & exploratum paſſim inſinuant. In teſtimonio primo, *Hinc enim probari putat, & Græcum textum eſſe ſincerum atque authenticum, &c.* Cuius ſęculi Græcum textum intelligant, & quem ſinceritatis gradum aliis locis non obſcurè explicant, vt pagina 19. *Quandoquidem enixiſſimè contendit Morinus verſionem Græcam veram ac genuinam qualis ab ipſis Interpretibus profecta fuit, editione Romana & Pariſina repræſentari, nos de iſtius rei veritate alibi diſpiciemus, interea autem hîc rem ita ſe habere ſupponimus, vt nulla prorſus cauillandi materia impuro iſti latratori relinquatur.* Et pagina 108. *Non paruus catalogus reſtat; quo amplius etiamnum confirmatur idipſum, ſaltem aduerſus Morinum qui ſolam illam verſionem quæ eſt in editione Romana agnoſcit pro Authentica & ab Apoſtolis vſurpata.* Pagina 117. *Hunc ſceleratum ipſius animum ſicut alibi indicijs non paucis deteximus, ita noua ad eandem rem*

testimonia desumere licet ex flagitiosissima ista in Græcam versionem præfatione, in qua cum videatur omnes neruos contendisse, vt sacrosanctam ac planè irrefragabilem huic versioni autoritatem circumdaret, &c.

Tertiam propositionem, vt præcedentes, & monstrosam, & sycophanticam in ipsa dedicatoria Epistola submotis omnibus ambagibus proponunt: *Nos luctamur,* inquiunt, *cum eiusmodi monstro quale ipsi quoque Iudæi execrentur: quippe quod purissima atque incorruptissima diuinorum oraculorum archetypa tam rabiosè insectatur, vt per ipsum non stet, quin pro deprauatissimis, atque omni mendarum genere plenissimis abyciantur planè, atque omnium pedibus proculcentur.* Pagina 115. 116. *Quanquam facile est illic quoque animaduertere quod nos toties etiam testati sumus, belluæ istius rabiem non contra hebraica duntaxat archiua, sed contra sacra in vniuersum oracula directam fuisse;* & paulò post, *reiecta ac damnata non hebraica duntaxat versione* (veritate volunt dicere) *sed & Latina editione,* &c. *Cui tamen* (editioni Grecæ) *illam* (vulgatam) *ita ignominiosè ex sua ipsius priuata autoritate posthabendam censuit.* Sycophantiæ virus aliud scriptis

noſtris aſpergunt, Vulgatam verſionem non ſecus ac textum Hebraicum nos ſuſque deque habere. Quibus calumniis & conuitiis nos inceſſant modeſtiſſimi homines, iam liquere arbitror. Sed ipſis condonandum: Quum enim nobis obloqui eorum animis fixum & immotum ſederet, rabieſque circum præcordia ferueſceret, nec eloqui poſſent, vt viros literatos decet, latrare maluerunt, & rudere, quàm ſilere.

Conciliationis textus Græci cum Hebræo varij modi breuiter enarrantur. Primæ calumniæ ſtoliditas, φιλονεικία, impudentia.


Capvt II.

NVnc de portentoſis illis propoſitionibus agamus, & quam bellè & candide illas nobis allinant, examinemus. Prima & capitalis calumnia cui totus libellus innititur, eſt, vt capite pręcedente dictum, Morinum hanc hypotheſin vniuerſæ ſuæ præfationi ſubſtrauiſſe, abſolutiſſimam eſſe debere, etiam iuxta verba omnia textus Hebraici cum citationibus noui Teſtamenti concordiam, minimamque alterius ab altero varietatem eſſe cor-

ruptelæ textus Hebraici argumentum. Quàm immeritò & sycophanticè hæc nobis calumnia infligatur, paucis accipe Lector. Nihil enim Bardos istos & planè ἀμούσοις vitilitigatores moror,

Καὶ κρονικαῖς γνώμαις λημῶντας τὰς φρένας ἄμφω.

Annus iam vertitur sextus cum Exercitationes Biblicas de Hebræi Græcíque textus sinceritate in lucem edidimus. Ibi inter cætera multis capitibus docuimus Exercitatione sexta varios modos conciliandi versionem Græcam cum Vulgata, siue quod ferè idem est hac in causa cum textu Hebræo: Nam passim vbi differt 70 Interpretum editio ab Hebræo textu, eodem modo differt à Vulgata. Decem conciliationis vias iniuimus, & variis capitibus non obscurè explicauimus. Primas quatuor ex antiquorum Patrum sententiis eruimus. 1. Nonnulla 70 Seniores interpretatos esse aliter quam ferat Hebræus textus, nonnulla omisisse, nonnulla addidisse dictante Spiritu sancto qui Gentes sic voluit institui, sicut nos alia docuit per hunc Prophetam aut Euangelistam, alia per illum & illum, magno doctrinæ compendio, nullò veritatis dis-



pendio. 2. Propter linguæ Grçcæ genium, quaſdam dictiones omiſiſſe, ne ſcilicet barbarè nimis efferrent Grçcè quod Hebraicè ſcriptum erat eleganter; quaſdam verò addidiſſe, ne Græcè obſcura eſſet aut manca ſententia quæ Hebraicè limpida fluebat & integra. 3. Multa quæ aduentum Chriſti prænuntiabant, & Trinitatis myſterium adſtruebant reticuiſſe, ne ſanctum canibus & margaritas porcis obtruderent. Denique vt populo ſuo parcerent nonnulla quæ in illius dedecus & infamiam vergebant, prætermiſiſſe. Hçc capite primo iſtius Exercitationis multis Patrum teſtimoniis demonſtramus. O ſycophantas, ſed κρονίοις καὶ βεκκεσελήνοις. Num qui hæc conciliationis principia docet, textuum varietates vel leuiculas alterutrius corruptioni acceptas refert?

Cæteros conciliationis modos marte noſtro ediſſerimus: Quintum ab Hebraica ſcribendi ratione petimus quæ conſonantibus nullas fere adiungit literas vocales; vnde puro & integro textu manente, frequentiſſima exoritur dictionum ambiguitas quæ ſçpe ex antecedentibus & conſequentibus non poteſt ita exactè

conſtringi, quin variis interpretationibus obnoxia ſit. Scribendi modum iſtum multis exemplis illuſtro: & quum ſcriptio Hebraica fieri aliter poſſet, quamobrem tam ambiguam & ancipitem Deus elegerit, nonnullis rationibus notum facio. Hunc conciliationis modum latiſſimè admodũ patere doceo; nec tantùm Græcum textum 70. Seniorum vbi ſæpe ab Hebræo textu neotericis punctis affecto plurimùm differre videtur, verùm etiam pugnantes aliorum Interpretum tranſlationes illius ope & ſecum & cum Hebræo textu facillimè conciliari; ſæpiſſime quoque S. Hieronymum hanc conciliationis rationem amplexum eſſe, noſque eam præfatione in 70 Interpretes plurimis nouis exemplis confirmaſſe, quibus linguæ Hebraicæ peritus non admodum operoſo negotio noua quotidie ſuperaddere poſſit; ſæpe quoque Talmudiſtas textus Hebraici varios ſenſus eadem ratione eruiſſe & enarraſſe. Hæc multis toto capite ſecundo.

Sextum conciliationis modum à dictionum homonymia ſiue fœcunditate petimus poſitis etiam & affixis punctis ſiue vocalibus notulis. Hæc non modo ſpe-

ctat dictionem ipſam, ſed etiam ipſius originationem quæ aliquando ab Hebrçæ linguæ perito multiplex aſſignari poteſt. Itaque nonnunquam contingit vt dictio in ſe conſiderata non modo homonyma ſit, variaque ſignificata complectatur, quod omnibus linguis accidit, ſed etiam variarum originationum habita ratione varios iterum complectatur ſenſus; ita vt licet textus Hebraicus punctatus & diligẽter conſideratus nullomodo videatur cum Græca interpretatione conſentire poſſe, diligentiùs tamen examinatus cum ea nulla ſibi labe illata in gratiam redire poſſit. v. g. Quantum differt Vulgata interpretatio à Grçca Eſaiæ c. 19. v. 10! Sic S. Hieronymus, *Et erunt irrigua eius flaccentia, omnes qui faciebant lacunas ad capiendos piſces.* 70. Interpretes, *Et erunt operantes ea in dolore, & omnes qui faciunt zythum mærebunt, & animis laborabunt.* Non ideo ſtatim colligendum, mendam eſſe in Hebrço textu, aliterque legiſſe 70. Interpretes quàm S. Hieronymum, aut quàm nunc Hebraicè legamus. Licet enim diuerſiſſimæ ſint interpretationes, vtraque tamen ex eodem textu iiſdem punctis notato colligi poteſt, vt cap. 3. collegimus,

& Rabinorum teſtimoniis multis comprobauimus.

Septimus conciliationis modus ad res quinque magnopere diuerſas extenditur: Verſatur enim circa nomina Plantarum animalium, menſurarum, lapillorum, & ornamentorum muliebrium, quorum omnium varia interpretatio textus originarij varietatem neceſſariò non inducit, cum voces illæ fœcunditate à priore diuerſa multiplices ſignificationes complectantur, hoc eſt, non ſequitur 70. Interpretes aliter in Hebræo legiſſe quàm S. Hieronymus, eo quod, verbi gratia, 70. verterunt onocentauros Eſaiæ 13. 22. vbi Vulgata, Vlulas; Et ceruos vbi Vulgata, Miluos. Eſaiæ 34. 15. &c. De hac conciliationis ſpecie multa cap. 9. & ſequent. Duæ aliæ enarrantur ſpecies, ſed materiæ quam tractamus non conueniunt. Tandem cap. 11. demonſtramus ad mendas in Hebrę um textum illapſas neceſſariò nonnunquam eſſe confugiendum, & ad hoc aſylum perſępe S. Hieronymus confugiſſe. Cum igitur tam variis cautionibus vtendum cenſeam, omneſque conciliationis vias tentandas moneam antequam aliquid in textu Hebręo corruptum

iudicetur, qua fronte bacchantium thyrſos tam inſanè aduerſum nos intentant? Notabit tamen Lector his cautionibus opus non eſſe cum pręſto ſunt antiqui codices linguæ originarię qui verſionem cõfirment. Tũc enim idẽ etiam de re minima colligitur, vt omnibus notum eſt. Quidni verò id accedente verſione colligeretur, cum mendę, omni verſione poſthabita, nihil aliud ſint, quàm variæ Lectiones in antiquis codicibus deprehenſæ.

Objicient forſan ita quidem nos ſcripſiſſe in Exercitationibus noſtris Biblicis, ſed in pręfatione noſtra quæ annis quinque ante Exercitationes illas edita eſt, quamque ſuo libello oppugnant, multò aliter. Fingamus rem ita ſe habere. Saltem igitur ipſis non monentibus errorem noſtrum depoſueramus, tacitéque palinodiam, vt dicitur, cecineramus. Quamobrem igitur tenebriones iſti qui ſcripta mea legerunt palinodiæ meæ nulla mentione facta, quaſi errori peruicaciam addidiſſem ὡς τρυγοδαίμονες ἐξ ἁμάξης παῤῥησιάζονται, & ambabus inflatis buccis in me teterrimas conuitiorum ſordes expuunt? Sed videamus tantiſper quid Pręfatio noſtra ferat. Vtroque loco cum

nondum exarsisset querela ista securè & confidenter potuimus de hac re verba facere, ac proinde potuit nobis animum ad hæc non aduertentibus durius aliquid excidere. Quis enim diuinasset sentẽtiam à sensu communi atque ab omni probabilitatis specie tam abhorrentem aliquando nobis inustum iri? Mihi tamen legenti & animo reuoluenti quæ in illa præfatione scripsi, non secus quàm in Exercitationibus meis nihil occurrit eiusmodi; imò sententia mea disertissimè exprimitur ex diametro ei quam mihi imponunt, opposita. Paucis rem habe Lector.

De multiplici variarum interpretationum conciliatione cum textu Hebræo nulla ipsius iactura. Eandem interpretandi textus Hebræi viam Iudæos & hæreticos nonnunquam inire.

CAPVT III.

PRæ cæteris de quibus in Prefatione nostra disserimus, discriminis textus Greci ab Hebreo causas inquirimus. Omnes autem ad tria genera reuocari poterunt. Primum amplectitur eas differentias quæ nulla textus variatione, sed sola le-

ctione siue punctorum diuersa inscriptione conciliantur. Secundum ea quorum differentiam probabile est ab vnius literulæ in textu Hebræo mutatione aut permutatione ortam esse, cum restituta aut traiecta illa facile textus Hebręus cum Græco in gratiam redeat. Postremum genus, ea quæ Hebræi textus necessariam corruptelam demonstrare videntur. De vnoquoque genere breuiter. Primum varias species amplexatur: Vnamquamque paucis exemplis illustrabimus. Aliquando sola lectionis varietas id efficit, vt Oseæ 11. 10. Hebraicè legitur, *formidabunt filij à mari.* 70. *filij aquarũ.* Hebraicè nunc, præcedente dictione forsan constructè lecta מִיָּם, 70. מַיִם Ps. 39. v. 5. *est nomen Domini spes eius.* Rabbini, *posuit Dominum spem suam.* 70. legerunt שֵׁם *Schem*, nomen. Rabbini שָׂם Sam. Ps. 14. v. 5. *Qui iurat proximo suo.* Rabbini, *Qui iurat ad malefaciendum seu affligendum*, hanc dictionem להרע Septuaginta legerunt לְהֵרֵעַ lehareah, Rab. לְהָרַע leharah. Esai. 9. 8. Rabbini cum S. Hieronymo, *verbum misit Dominus.* 70. *mortem misit Dominus* hanc dictionem דבר Septuaginta pronuntiarunt דֶּבֶר deber, Rabbini דָּבָר dabar. Plura in præ-

ſatione, & iſtius ſpeciei innuméra ſunt exempla.

Aliquando idem facit varia thematis originatio. Geneſ. 15. 11. 70. *& conſedit illis.* Rabbini nunc cum S. Hieronymo, *& abigebat illas.* 70. pronuntiarunt וֵיֵשֵׁב אתם nunc legitur, וַיַּשֵּׁב אתם priorem dictionem deriuantes à נשב, 70. verò jod exiſtimarunt eſſe radicalem. Sic Ezechielis 27. 32. 70. *& aſſument filij eorum.* Hebræi nũc, *& aſſument in lamentationibus.* Ratio hæc eſt, in dictione בניהם, 70. exiſtimarunt beth eſſe radicalem, Iudæi nunc eſſe propoſitionem. Aliquando huius diſcriminis cauſa eſt vnius dictionis in duas diuiſio, vt Ezech. 27. 5. *Abietibus de Sanir extruxerunt te cum omnibus tabulatis maris*, à textu Hebræo nunc abeſt dictio, *maris.* Vnde verò S. Hieronymus illam accepit? dictu facile eſt, dictionem לחתים quæ geminas tabulas ſignificat, in duas diſpunxit לחת ים, *tabulas maris.* Aliquando cauſa contraria fuit, vt Amos 4. 13. Nunc Hebraicè, *annuntians homini quid meditatio eius.* 70. *Annuntians in homines Chriſtum eius,* Septuaginta legerunt משיחו: Iudæi nunc hãc vocem ſuppleta, ה, in duas diſpeſcunt. Aliquando nomina propria appellatiuè

ſumuntur, vel è contra, vt Eſaiæ 13. v. 21. אחים, *ochim*, 70. interpretantur *ſonitum*, Vulgata, *dracones*. Rabbini, animalia terribilia, alij aliter. Sæpe quoque verba Hebraica etiam immutatis punctis, ſummotaque homonymia qua dictio vno modo ſumpta in Hebræa lingua vt in cæteris varia ſignificat, ratione diuerſorum thematum à quibus deriuari poſſunt, diuersè admodum explicantur. Huius diuerſitatis in dictionariis & Grammaticis tam Iudæorum quàm Chriſtianorum obuia ſunt exempla. De prima illa cauſa varietatis interpretationum hæc exempla ſufficiant; alioquin præfationis noſtræ maxima pars nobis eſſet exſcribenda.

Agitè nunc ô lepida capita! in toto hoc ſermone quid furioſum, quid rabioſum, quid inſanum vobis videtur? En antiquæ interpretationes nec ſecum nec cum nouis ſæpe conueniunt, docet præfatio mea illæſo textu Hebræo nonnunquam his modis ſibi inuicem conciliari poſſe. Eandem conciliationis viam perſæpe iniuit S. Hieronymus, ex cuius libris ſatis magnum catalogum texuimus Exercitationis 6. Biblicæ c. 2. ibíque docuimus admirandam hac in cauſa linguæ ſanctæ fœcunditatem,

ſupraque alias prærogatiuam. Eandem ſæpe antiqui Talmudiſtæ periclitabantur, cum inter ſe diſputantes ſic mutuò ſibi opponebāt, Eſt mater lectionis, eſt mater maſoræ, vel ne legas ſic, quibus axiomatis ex textus varia lectione ſenſus eruebant. Eadem aliquando vſus eſt ipſe Caluinus, eamque approbauit Lutherus cum anno 1543. iam ſenex factus punctorum inſcriptionem Rabbinorum inuētum eſſe publicauit. Schindlerus Lutheranus linguæ Hebraicæ & eius dialectorum egregiè peritus in dictionario ſuo pentaglotto eiuſmodi conciliationes ſæpius adnotat; quod & alij plures hæretici tam Lutherani quàm Caluiniani non approbare non poſſunt, qui puncta Hebraica Maſorethaꝛum recens eſſe artificium ſibi perſuadent. Sanè Ioſephus Scaliger maximi apud eos nominis ſtolidiſſimæ rerum Hebraicarum ignorantiæ notam iis inurebat qui hoc negare audebant. Sed his autoritatibus præteritis quid monſtroſum, quid rabioſum præ ſe fert iſtud conciliandæ variæ interpretationis principium?

De iis varietatibus interpretationum quæ vnius literæ in textu Hebræo mutatione aut traiectione conciliantur. Aduersariorum imperitia, sinistra studia, ἀλογιστία.

CAPVT IV.

SEcundum differentiarum genus nunc excutiamus. Eas continet quæ non amplius sola pronuntiatione, seu punctorum varietate conciliantur, sed aliqualem literularum mutationem, permutationem, aut traiectionem ob sui conciliationem postulant. Quid hoc sit, & cuiusmodi criminis reus dici debeat qui interpretationum dissidentium conciliationem sic inire tentauerit, Lector istarum rerum non omnino ignarus iudicabit. Paucula exempla vt de cæteris iudicium fiat, referemus. Qui plura desiderauerit, præfationem nostram consulat: Eam enim integram hûc transferre non est animus. Notabit autem Lector in hoc genere explicando ea sępe me elegisse interpretationis Græcæ testimonia quæ ab Apostolis & Euangelistis referuntur, vt ampliori maiestate ornata maiorem quoque cum textu Hebræo comparata nanciscerentur autoritatem.

Exempla

Exempla igitur hæc sunto, S. Paulus Actor. 13. v. 14. refert ex Habacuc c. 1. v. 5. *Videte contemptores*, &c. Hebraicè nunc legitur, *Videte in gentibus*. Variæ translationis dico causam esse literæ vnius mutationem; daleth ד in ו vau, & legisse 70. בֹּגְדִים, nunc autem scribi בַגּוֹיִם. Epistolæ ad Ephesios c. 4. 8. citatur ex Ps. 67. 19. *Dedit dona hominibus*. Literæ vnius de situ suo traiectio litem dirimit. Nunc legitur, לקחת, accepisti, Apostolus, חלקת, *diuisisti*, & eleganter, *dedisti*; vt Deuter. 4. v. 19. etiam cum præpositione, ב, in, vt Iobi 39. 17. Esaiæ c. 44. v. 28. *Qui dico Cyro pastor meus es.* 70. *Qui dico Cyro vt sapiat.* In Hebræo nunc legitur רעה per resch, 70. legerunt דעה per daleth. Scribæ aberratio in exemplaribus propter literarum similitudinem commissa est. Sic Genes. 49. v. 14 Hebraicè nunc, *Issachar asinus fortis seu osseus.* Septuaginta, *Issachar bonum desiderauit*, vnde hoc? facile dictu. Septuaginta legerunt חמור per daleth, quod rem pretiosam & desiderabilem significat; Hebraicè nunc legitur חמור *asinus* per Resch. Deinde גרם per Samech *desiderauit, bono incubuit*, significationem verbi Chaldaicam, siue sibi vernaculam amplexi sunt.

Hebraicè verò nunc per Mem legitur, גרם os ossis.

Agite nunc ignauum pecus, arcadicum germen.

Οὓς ἐδίδαξαι ἀριστερὰ γράμματα μοῦσαι.

Quid fatuum, quid insanum, quid scele-ratum vt obstrepitis, in hac sententia vo-bis videtur? Num probabile non est in-terpretes his locis & innumeris aliis in textu Hebræo aliter atque aliter legisse. Vt quid cum fungis tamdiu sermocina-mur, asinorumque istorum capita nitro lauamus? ad nasturtium mittamus eos donec eo sufficienter pasti innatæ stolidi-tatis aliquid deposuerint. Interim, can-dide Lector, quicunque sis tecum paucis agam. Nunc in textu Hebræo cap. 1. Ha-bacuc v. 5. legitur, בגוים *in gentibus*. Si Se-ptuaginta Interpretes eodem modo lege-runt, Quamobrem verterunt, *Contempto-res*. Num vt sensus clarior fieret? Num ad magnum aliquod mysterium innuēdum? Lege textum, & vtrumque frustra dici euidentissimè percipies. Imò si S. Pauli scopum spectes, multò exactius quadrat, *Contemptores*, quàm *in Gentibus*. Monet Iudæos Paulus Act. 13. ne Iudæi Euange-lium quod illis prædicabat, vilipenderent,

eosque terret verborum Habacuc citatione, *Videte contemptores, & admiramini, & disperdimini.* Deinde considera, Lector, vno apiculo addito literæ, ו, vau, fit, ד daleth, quo in textu Hebræo componitur dictio quæ ad vnguem 70. versionem exhibet, בגדים, *Contemptores, perfidi, perfidè agentes.* Collige nunc an sit improbabile in 70. Interpretum exemplaribus בגדים scriptum fuisse non autem vt nunc בגוים.

Sic Genes. 49. 14. Verterunt 70. *Issachar bonum desiderauit.* Nunc iuxta textum Hebræum, *Issachar asinus fortis.* Si fingas 70. Interpretes eodem modo legisse quo nunc legitur, Quæro quamobrem verba illa non sunt eodem modo interpretati? Non dices istorum verborum vim & significationem eos ignorasse: Sunt enim vulgatissima, & vbicumque alibi reperiuntur, ea rectè sunt interpretati. Deinde, si nesciuerunt 70. illi seniores verborum aliquorum genuinam significationem, quis eam post tot barbarorum incursiones Iudæos docuit? Nec dices cæcutiuisse, & cum litera vna scriberetur in textu aliam legisse. Nam vt concedam hoc illis ter, quater, quinquiesve contigisse, cum toties occurrant eiusmodi varietates, quis eo-

rum oculos perpetua lippitudine aut μυωπίᾳ laboraſſe credet? Propter igitur magnum aliquod myſterium aliter interpretati ſunt quam ferret textus quem præ oculis habebant. At Lector inſpice textum, inſpice verſionem; tum ſi poſt myſteriorum initiationem ἐποπτείᾳ donatus es, nobis ediſſere quamobrem cum in textu ſuo ſcriberetur, *Iſſachar aſinus fortis*, interpretati ſunt, *Iſſachar bonum deſiderauit*. Sed iſta myſteriorum inueſtigatio nonnullis Iudæis gratiſſima, nullis mihi videtur hæreticis probari, niſi forſan vni Amando Polano. Quis ſit pecorum noſtrorum in hac re guſtus nondum perſpexi. Verùm, Lector, ſi ſententiam meam audis, vno verbo expeditur nodus: Aliter legerunt 70. quàm nunc legatur, duarumque literarum ſimilitudine alterutri ſcribæ aberrauerunt. Legerunt LXX. חמד גרם, nunc legitur, חמר גרם. Si tantilla reſtitutione lis componitur, quid opus animum anxium huc illuc ſuſque deque per varia verſare myſteria?

His addam in textu Hebræo-Samaritano legi חמור גרים, *Aſinus peregrinorũ*, per additionem literulæ jod lectioni Hebraicæ. Interpres vertit [illegible]

quod idem eſt: Lectio iſta ſenſui optimè cohæret. In verſione noſtra iſtud jod non ſatis attendentes, fortem malè vertimus. Chaldæi paraphraſtæ non verba, ſed quem ſibi finxerunt ſenſum ſecuti ſunt, vt & Saadiæ interpretatio Arabica. At Syrus Interpres qui hîc in magnis Bibliis cuſus eſt, aliter legiſſe videtur: vertit enim pro, *Aſinus fortis*, ܓܒܪܐ ܓܢܒܪܐ vir Gygas. In illius exemplar, pro חמר, alia dictio irrepſerat.

Hæreticorum doctiſſimi quique, Hebræum textum & Græcum noui Teſtamenti mendis plurimis ſcatere fatentur. Aduerſariorum, ſtoliditas, peruicacia, conuitia, paralogiſmi ſuis maximè noxij, νυκτομαχία.

CAPVT V.

ANtequam tertium & poſtremum differentiarum genus quod neotericum textum Hebræum inter & 70. Interpretum tranſlationem deprehenditur, ex quo textus Hebraici neceſſariam quibuſdam in locis corruptionem collegimus, explicare aggrediamur, paucis aſinorum noſtrorum bigam interrogemus quid criminis in varietatis cauſa capite præce-

dente explicata commiſerimus. Licet enim eos ſtramenta malle ſciam quàm aurum, non ita tamen fungos, Blennos, & Buccones exiſtimo, vt quæſtionem facti euidentiſſimam, quam nullo negotio dignoſcat quicunque oculos aperit, aut aures arrigit, non aliquando intelligant.

Agite igitur, Taylor & Booti, auriculas tantiſper arrigite, paucis vos volo; eas breui, ſi libuerit, demittetis. Quid criminis hac in cauſa commiſit Morinus? Quid fecit ille quod ratione duce non faciant, quum ſeſe præbet occaſio, quicunque tranſlationem aliquam cum originario textu aut alia tranſlatione comparant? Scripſit 70. Interpretes, S. quoque Hieronymum nonnullis in locis aliter legiſſe in textu Hebræo quàm nunc legatur, & conſequenter omnibus omnino locis textum Hebræum non eſſe nunc eundem qui tunc erat. An propter eiuſmodi aſſertionem vobis meritò videtur Morinus, bellua rabioſa, canis & impurus latrator, monſtrum ipſis Iudæis execrabile, &c.

Tria mihi videntur animo fingi poſſe, quæ omnia, aut horum quædam ſtomachum veſtrum adeo commouerunt, vt choleræ intemperiem continere non po-

tuerit. Primùm, quod dixerimus in codices ſacræ ſcripturæ originarios mendas irrepſiſſe. Secundum, forſan hoc concedi-tis de Græco noui Teſtamenti textu, ſed bilem vobis acriter mouet quod idem de Hebræo pronuntiauerim. Denique argumentationis meæ qua primum illud demonſtro, conſequentiam ita horruiſtis, ſcilicet ex interpretationum varietate, originarij textus varietatem colligere, vt ad eiuſmodi conuitiorum vomitionem vos prouocauerit. Tribus his erumpentis choleræ veſtræ cauſis earum demonſtratione mederi conabor, vt eâ ſedatâ mentis veſtræ in poſterum compotes eſſe poſſitis. A prima tempeſtatis animi veſtri cauſa exordium faciam. Non opponam vobis viros Catholicos iſtius aſſertionis teſtes & vindices: Nonnihil enim timeo, ne pro modeſtia veſtra eos iiſdem aut ſimilibus elogiis excipiatis, ſed ſymmyſtas veſtros, atque in vno plures & veſtrates nonnullos. An igitur vobis ſunt canes impuri, & execranda monſtra, Sixtinus Amama, Frandkeræ literarum Hebraicarum profeſſor, Erpennius Lugduni Batauorum ante paucos annos linguæ Arabicæ profeſſor, Druſius qui Frādkeræ

quoque diu literas Hebraicas docuit, Bertramus qui Geneuæ, ni fallor, eodem munere functus est, Piscator, Pagetius, Capellus, Weigammeierus, & alij qui textum Hebræum multis locis mendosum esse & corruptum scripserunt, En Sixtini Amamæ verba in dissertatione de variis Iudæorum lectionibus.

Hanc lectionis varietatem in quibusdam peperit Iudæorum quædam εὐλάβεια *& religio; in quibusdam verò codicum discrepantia, & mendosa descriptio.* Prioris generis sex tantùm sunt aut septem quas Iudæi obscœnitatis opinione ducti pronuntiare non audent, *Reliquæ variæ lectiones (si excipias* נַעֲרָ & יְרוּשָׁלַםִ*) ex mendosa codicum descriptione & varietate natæ sunt. Cui vt remedium adhiberent viri eruditi voces in contextum diu receptas prout eas inuenerũt reliquerũt integras, sed emendationem earũ in margine posuerunt nudis consonis, quarum vocales consonis in textu positis addidere. Restitutio illa lectionis versatur vel circa voces integras, vel circa vocum partes. Circa voces integras versatur quadrupliciter. Aliquando enim dictio integra in contextu redundat, quam proinde punctis non vestiuere. Tales autem voces redundantes à Masorethis nu-*

merantur octo. Aliquando vox integra defecit,&c. aliquando vna in duas finditur, aliquando contra duæ in vnam coalescunt. Circa vocum partes, id est, consonas versatur quinque modis, vel enim consona vna pro alia posita est, vel redundat, vel deficit, vel transponitur, vel à voce sua auulsa alteri adiungitur. Deinde plerarumque numerum speciali pegmate repræsentat. In vniuersum autem scribit numerari solere 848. Quæ summa ab Elia Leuita subducta est. Plures ait Buxtorfius sese deprehendisse, ego vltra 1300. indicato capite & versu collegi, atque plus quàm quingentas ex Iudæorum animaduersionibus aliis quàm Masorethicis.

Pergit Amama, *Harum variarum lectionum aliæ huiusmodi sunt, vt sensum non mutent, dubitesque meritò vtra præferenda sit. Aliæ verò tales sunt, vti nonnisi altera, quæ secundum vocales est, & in margine exprimitur, loco conuenire poßit. Illæ autoritate bonæ notæ codicum, hæ neceßitate etiam cum iudicio, à viris magnis videntur constitutæ.* Addit Amama, *atque hæc ferè ex Cl. viro D. Erpenio.* Vobis igitur si credere fas est, execranda monstra sunt, rabiosæque belluæ Sixtinus Amama, & Erpenius. Quid

enim magis execrandum cogitauit vnquam Morinus?

Sed in hanc diris deuotorum capitum classem vestrorum & vestratium longè maior numerus est detrudendus. Postquam enim de ea varietate quæ honestorum vocabulorum causa fit, disseruit, citat in sententiæ suæ de codicum Hebraicorum mendosa descriptione confirmationem, Iudæos Kimchium, Ephodæum, & Abenesdram, de quibus postea; suos verò, Mercerum & Bertramum passim ad thesaurum Pagnini, sed specialiter in themate דרן. Drusium in adnotat. magnis ad Leuit. 11. 21. adhuc ineditis (fuit autem Amama Drusij discipulus, illique in professione linguæ Hebraicæ successit) Pagetium in lib. Anglic. an arrou against the Brownistis, Erpenium in Grammat. p. 256. Capellum in Chronol. Weigammejerium in tabulis l. 2. c. 10. Piscatorem passim in Scholiis. Vide 2. Reg. 22. 48. autorem tractatus de antiquitate vocalium l. 1. c. 7. 11. Buxtorfium addit l. 1. c. 28. Grammat. sed postremus hic, sententiam mutauit, & si pecoribus nostris creditur, ex monstro, bellua, & cane tandem factus est homo. Postea subjicit

Amama, *Nec aliter ſentiet, quiſquis omni præiudicio ſeposito hæc & ſimilia loca bene conſiderauerit, Iudic.*16. 18. & 19. 3. *Ruth.* 4. 5. 2. *Sam.* 20. 14. 2. *Sam.* 24. 18. *Pſal.* 139. 6. *Prou.* 19. 19. & 20. 20. & 23. 26. & 31. *Item* 8. 35. & *Pſal.* 18. *cum* 2. *Samuël* 22. & *libros Chronic. cum libris Samuëlis & Regum contulerit. Qui hîc contra eunt, & vtrãque lectionem diuinæ autoritatis eſſe contendunt, multis in locis, (verba D. Pagetij) ex Deo Ianum aliquem bifrontem faciunt, ſpectantem πρόσσω καὶ ὀπίσσω, &c.* quæ multis differit.

Poſtea fusè ſatis ſuorum obiectiones refellit, eáque ſcribit, quibus nos, vt ſententia noſtra dilucidè explicetur, nihil addendum habemus. Si ſcire velis Lector, quæ ſit, quæue fuerit de codicum Hebræorum integritate ſententia noſtra, quæ ſcribit tota illa diſſertatione Amama, lege & perpende. Nuſquam in præfatione noſtra de iſtis mendis & corruptelis tam ſeuerè vt ille decernit, pronuntiauimus. Eandem ſententiam non in illa tantùm diſſertatione docet Amama, ſed alibi paſſim vt Antibarbari lib. 2. vbi de הוא Geneſ. 3. v. 15. Multis hanc quæſtionem agitat cap. 1. & 2. libri 1. ſed vbique admittit

textum Hebræum mendas inuasisse, negat tantum à Iudæis malignè fuisse corruptum. *Dixi studiosè & odio Christianismi. Haud enim negare ausim, & iniuria temperum, & descriptorum incuria errata quædam & sphalmata in textum Hebræum irrepsisse.* In eandem sententiam citat & Riuetum Ministrum & professorem apud eos celebrem pag. 106. Isagoges. Paulò post, *Atque hîc illud quoque non possum dissimulare me haud grauatim adduci vt credam, fieri etiam potuisse vt ex prauo affectu & odio in Christum, addo vel in Christianos, ea lectio interdum ipsis magis probata sit, quæ minus Christianis fauebat.* Sententiam suam magna ex parte verbis effert Cardinalis Bellarmini cuius vestigiis quàm pressissimè adhæret. Istud autem posterius quod ipso Bellarmino durius aduersus Iudæos pronuntiat Amama nũquam scripsimus. Quàm horrendum igitur vobis monstrum est, quàm immanis bellua Sixtinus Amama. Sed redeat vnde digressa est oratio.

Præterea suorum quintæ obiectioni, qua colligebant Masorethicas illas varietates à codicum mendositate non fluere, eo quod ab eo tempore earum numerus

non accreuerat, tandem respondet, *Nec omnino verum est, post Masoretharum labores nullas varietates repertas. Quid enim sibi volunt illæ notæ in Venetis magnis, Buxtorf. & Interlin. Ierem.* 14 14. *Item* 22. *& alibi. Vbi variam lectionem non per* ק, *id est, Keri, sed per* נ"א, *id est, codex alius, notarunt. Vide in explic. specialium anomal. Nunquid D. Iunius in suis annotationibus discrepantes lectiones alias à Masorethicis ex antiquissimo cod. Heidelberg. notauit,* 2. *Chron.* 26. 5. *&* 35. 3. *An non inter varias Editiones magna & varia discrepantia in vocalibus & accentibus, quam nos suis quoq; locis annotauimus. Quo referes dissensum Orientalium & Occidentalium quem Biblia Veneta in fine Masoræ & ex ea Cl. Drusius in libro de recta lectione exhibent.* Huiusmodi post Masorethas varietatum maximum numerum ex Iudæorum libris collegimus. Interim autem dum in lucem prodibunt obseruationes nostræ, istarum varietatum in libris sacris post Masorethas Iudæis deprehensarum specimina 12. ex libro Genesis collecta, lege si lubet in quarta Exercitatione nostra Samaritica c. 8. & quæ capite 9. referimus de duorum versuum apud Iosuam in plerisque

codicibus omiſſione, & decem antiquorum manuſcriptorum hac de cauſa inſpectione. Si verò animum tuum hiſce rebus paſcere cupias, & mendas à Iudæis non animaduerſas præcedentibus coniungere, lege eiuſdem Exercit. c. 3. Ibi enim è Geneſi loca tredecim exhibemus in quibus Septuaginta Interpretes, verſio Syra, & Hebræus Samaritanorum codex cum Vulgata conſentiunt aduerſus neotericos Iudæorum codices. Quod mendæ in Iudaicis codicibus eſt euidentiſſimum ſignum. *Quod apud multos vnum inuenitur, non eſt erratum ſed traditum.* vt ſcribit Tertull. de præſcript. c. 28. Hæc de Amamæ & aliorum quos refert ſententia, cui ne verbulum vnum ad noſtræ expreſſionem addere vel detrahere neceſſe eſt.

Sed ô viros ſperatiſſimæ ſpei, exquiſitiſſimæ ſapientiæ, & infinitæ perſpicaciæ, tantiſper iterum aures arrigite, & conſiderate, quales habeat Morinus ſententiæ ſuæ adſtipulatores, ſententiæ veſtro iudicio deſperatiſſimæ, fatuæ, atque infinitæ ſtoliditatis. Non erit opinor vobis Heinſius teſtis, ἀδόκιμος, ἀλλὰ ὑπερευδοκιμώτατος ἀνήρ. qui literas Græcas Lugduni Batauorum ab annis triginta & aliquot magno

cum applausu profitetur, quique senescẽs Latinis, Græcisque literis Hebraicas seriò miscuit. Audite igitur quid scribat de Sixtino Amama in fine longi sui Prolegomeni in Aristarchum sacrum, & qua in causa scribat. Postquam Buxtorfij opus de crisi Hebræorum laudauit, statim subjicit, *Cuius instituto magnæ eruditionis, summæ expectationis vir Sixtinus Amama succedit: A quo multa sibi orbis spondet, quia plurima iam habet.* Hoc autem in lucem edebat Heinsius annis duobus post Amamæ dissertationem editam, & vno ante præfationem meam. Non est igitur Heinsio vt vobis delicatissimis & meticulosissimis hominibus canis, bellua, monstrum horrendum, &c. qui Amamę & sodalium sententiam amplectitur. Imò Heinsius ipse de sacro noui Testamenti textu (ad Euangelium enim Ioannis spectant ipsius animaduersiones) idem fatetur in eodem Prolegomeno quod Amama de veteri. Longior locus est quàm vt hîc describatur; id quod Aristarchi cap. 29. scribit hûc retulisse satis esto, *Non est*, inquit, *metuendum ne qui S. Hieronymum, cæterosque antiquos Criticos legit, ea sit impudentia vel imperitia vt in Sacris aliquid per negligen-*

tiam à scribis vel omissum vel neglectum vel corruptum, in vocibus præsertim, & quæ rem præcipuam non trahunt, admiretur. Ex Heinsij igitur sententia qui antiquos Ecclesiæ Criticos legit, & aliquid admiratur in textu sacro à Scribis per negligentiam aut omissum esse, aut corruptum, impudens est, aut imperitus. Vtrum eligitis? Si enim pronuntiat Heinsius impudētem aut imperitum qui omissiones aut corruptelas in sacro textu factas esse miratur, quid de eo pronuntiasset qui non modo factas negat, sed fieri posse negat, sed phreneticè furit in eum qui aliquas factas esse asserit.

Qui sensus vester, quæ mens ô egregij sacrorum codicum hyperaspistæ de Drusio Frandkeræ cum viueret literarum Hebraïcarum Doctore. Sic ille in notis ad parallela Matt. 2. 6. *Video expulsam vocem Ephrata, in eiusque locum successisse* γῆ Ἰούδα, *&c. sed fortasse Librarij crimen est* γῆ *pro* γῆς. *Aut legendum* τῆς Ἰούδα, *vt* φυλῆς *subintelligatur, Betlehem tribu Iudæ. Sententiæ huic firmandæ est Interpes Syrus apud quem* דיהודה, *&c. suspicari libet glossematio auctum locum, quo sine esset* βηθλεὲμ Ἰούδα. & in versum 18. θρῆνος, *vox hæc addita videtur*

detur ex editione 70. Nam abest à priscis Interpretibus Latino & Syro, & in Dialogo πρὸς τρύφωνα p 87. *& apud Hieronymum in Comment. Ierem.* 51 15. In initium Euangelij secundùm Marcum scribit versiculum ex Malachia à textu olim abfuisse, & postea additum. Idem conjicit Marci 12. v. 30. de hoc hemistichio, ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου. *Suspicor ex albo vt sit, in contextum irrepsisse, &c. Nihil ergo sententiæ accessit hoc membro siue id Euangelista adjecerit, siue alius quispiam Deorum hominumve.* Et in Luc. c. 4. sic conjicit de pericope ista, dimittere confractos in remissionem, *Hinc colligo fuisse tempus, cum abesset etiam Euangelio Lucæ. Vtvt sit, glossema est meo animo vetustius, quàm vt sumptum videri posit ex Aquila, Symmacho, aut Theodotione, &c. Quare eò adducor vt credam in albo marginis primùm notatum fuisse à studioso quopiam, indèque, vt fit, per incuriam Scribarum in contextum dimanasse.* In Act. 7. v. 42. ad hæc verba, ἐπέκεινα Βαβυλῶνος, *An est* μνημονικὸν ἁμάρτημα *ipsius Euangelistæ? An quod magis suspicor, Librarij manus aberrauit perscribens pro* Δαμασκοῦ, Βαβυλῶνος? *Immemor historiæ Lucas, si ita scripsit. Librario autem imponere potuit, quod*

putaret hîc agi de Babylonica deportatione. Eadem Drusius velut axiomata, & regulas generales initio operis sui proponit, canonibus 5. 6. & 11. quos consule.

Quid de Ludouico de Dieu, in Academia Leidensi, ni fallor, Professoris animaduersionibus in quatuor Euangelia, atque in Acta Apostolorum. Frequentissima, & perpetua fere est variarum lectionum in sacro noui Testamenti textu enarratio, sibique proponit cæteros libros eo modo enarrandos. Num stupiditatis, num vecordiæ, num rabiei & sacrilegæ audaciæ eum insimulare audebitis, quod sacrum textum de vitio ac corruptela vt de me scribitis, infamare audet? Paucissimos locos in veteri Testamento præfatio nostra notauit, innumeros ipsius commentarij. Videte ad Matt. c. 9 v. 8. 13. 32. 35. Cap. 10. v. 2. 4. 8. 12. 25. ad Act. c. 1. v. 4. 9. 14. c. 2. v. 2 4. 26. 30. 31. 41 43. Quid singula loca percurrā cū ex iis liber non modicus confici posset, iamque alias & plures ex eodem autore adnotauerimus Exercit. 2. Biblica c. 4. Quæ de hac codicum varietate in præfatione Lectorem monet, huc referemus. *Nec est quod quemquam turbet, ea codicum lectionumque varietas, qua in hac*

translationum collatione paßim conspicitur, quasi nihil certi haberet fides Christiana, cui inniteretur. Scribit enim nihil se deprehendisse quod fidei substantiam læderet. Postea, *tantum abest itaque vt Erasmum, Camerarium, Bezam, viros pietate & eruditione conspicuos culpare audeam, quod in suis ad sacros libros notis varias etiam lectiones obseruarint, vt contra eos vtilem operam nauasse credam.*

De Beza verò quid dicetis? quæ iniuriarum, & contumeliarum plaustra in ipsum exonerabitis? quale vobis erit monstrum, qualis bellua, quàm impurus canis, qui infinitas N. T. mendas ex antiquis codicibus quos plurimos habebat, in adnotationes suas retulit, mendas non modo dictionis vnius, sed plurium, sed hemistichiorum, sed versuum: qui tam sæpe codicem vnum viginti consentientibus præfert, illiusque sensum cæteris præteritis in versionem suam infert; qui nonnunquam coniecturam suam omnibus codicibus posthabitis in textum intrudit? Quas furoris vestri notas inuretis Erasmo qui Bezæ similia pleraque & frequenter admodum in vniuersum nouum Testamentum adnotauit, qui adeo sæpe

aut vno codice, aut vno Interprete, aut etiam sola sua coniectura fretus, sacrum textum mendæ accusat, aliterque reponendum affirmat, imò reponat? Quas Roberto Stephano qui in præclara illa, & miranda noui Testamenti Græci editione lectionum varietates ex antiquis manuscriptis vltra bis mille collegit? Quas Casaubono qui notulis ad quatuor Euangelia, & Actus Apostolorum tot lectionis varietates adscripsit, qui sæpe Græcis codicibus Vulgatæ translationis textum præfert? Quas Iosepho Scaligero qui in Elencho chronologico & Epistolis idem de libris Hebræis confidenter asserit? Quas denique tot antiquis Patribus Græcis & Latinis qui textum sacrum Græcum & Hebræum mendarum passim accusant, illum ab hæreticis, hunc à Iudæis deprauatum conqueruntur? Hæc plurimis exemplis, & prædictorum Nouatorum testimoniis planissimum fecimus in Exercitationibus nostris Biblicis, sed potissimum Exercit. 2. cap. 12. & sequentibus. Hinc hauriet curiosus Lector quæ desiderio suo satisfacere possint. Andabatæ nostri hæc omnia prætereunt, & quasi surdis fabulas canerent, aut cæcis scriberent,

velut ἐν νυκτομαχίᾳ μηδεμίαν φίλων καὶ πολεμίων διάκρισιν ἔχοντες ſententiam iam ab aliquo tempore hæreticis ſodalibus ſuis, εὐπαράδεκτον, vt impiam & blaſphemam diris omnibus deuouent. στεῖρον ἀγρὸν σπείρειν prohibet in legibus Plato: Quum tamen de re euidentiſſima nobis ſit ſermo quæ oculos aperientem latere non poteſt, non omnino deſperamus contra vulgatum prouerbium ab iſtis aſinis lanæ aliquid nos carpere poſſe.

Validam eſſe hanc conſequentiam, etiam ex hæreticorum ſententia, ſi mendæ irrepſerunt in Græcum noui Teſtamenti textum, multo magis in Hebræum veteris Teſtamenti.

CAPVT VI.

FOrſan admittent mendas illas & corruptelas in noui Teſtamenti Græcum textum irrepere potuiſſe; Quis enim Hæreticus poſt tot Hæreticorum non modo hac de re teſtimonia, ſed etiam multiplices catalogos, adeo ſui, modeſtiæque immemor erit, vt id inficietur? At veteris nouique Teſtamenti, quod eſt nobis ſecundò probandum, negabunt parem eſſe

causam. Neque nos fallit coniectura nostra: Nam sect. 18. in nouo Testamento mendas agnoscunt, *Quanquam enim*, inquiunt, *in quibusdam codicibus legatur*, ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις, *aliis tamen codicibus in quibus scribitur*, ἐν Ἠσαΐᾳ τῷ προφήτῃ, *fidem potius habendam esse, testatur consensus Veterum Interpretum.* Itaque ipsis non est inuisa ista propositio de nouo Testamento duntaxat intellecta, sed eadem de Hebræo textu asserta bilem illis mouet. Nam vt docent sectione 16. *Sicuti certissimum est Hebraicam veritatem ad manus nostras peruenisse sinceram, & planè sicut à principio fuit, incorruptam, &c. ita ex diuerso æquè indubitatum est, quidquid ab illis* (Apostolis & Euangelistis) *in literas relatum est, verissimum esse, & sacrosanctæ autoritatis, non aliter quàm si immediatè profectum esset ab ipso Deo.* Prius illis est æquè certum & sacrosanctum ac istud posterius; neque alia de causa tam improbè & impotenter aduersum nos debacchati sunt, quàm quod in prius, hoc est, in absolutam Hebræi textus integritatem scripsimus. Absurdissima sanè assertio. Quid enim Christiano fingi potest dictu absurdius, quàm in nouum Testamentum mendas irrepere

posse, in vetus non posse? Sed qui à stolidissimis nostris pecoribus aliud sperat, inani spe lactatur, & quàm primùm in eorum libellum oculos conjicit.

--- *ferre videt sua gaudia ventos.*

Respondeo igitur non modo ex omnium Catholicorum, sed etiam ex omnium Hæreticorum Lutheranorum & Caluinianorum sententia, æquam esse vtriusque Testamenti autoritatem. Itaque si scelus est mendas in veteri fœdere agnoscere. Par scelus est eas de nouo confiteri. In nouum si plurimæ irrepserunt, Quid prohibet quo minus in vetus æquè multæ irrepserint? Vestráne sententia soli omnium hominum Iudæi in exscribendis suis codicibus erunt ἀναμάρτητοι? Quidquid tetigerint, velut si Midæ fabulosæ manus ipsorum brachiis insertæ essent, in aurum conuertetur? Cæteri verò mortales, etiam summorum Pontificum delegatione agentes sæpius hallucinabuntur, aberrabunt, cespitabunt? Si Ecclesiæ Christianæ omnino interest, vt alterutrius fœderis libri ab omni prorsus labe & menda puri conseruentur, longè præstat libris noui quàm veteris fœderis hoc priuilegium asserere. Fidei enim Christianæ

mysteria multò clarius & euidentius in nouo Testamento explicantur quàm in vetere: imò præcipua fidei fundamenta è veteri nisi nouum accederet, erui non possent. Quapropter qui præteritis Græcis N. T. codicibus illibatam & virgineam integritatem solis Iudaicis it tam animosè vindicatum, Iudaismum promouet, non Christianismum. Huic objectioni respondet Amama eadem dissertatione, *Si ex paucis illis lectionum varietatibus* (*dico paucis pro tanta librorum istorum antiquitate, & gentis Iudaicæ variis & asperrimis calamitatibus & dispersionibus*) *disputabimus textum Hebræum esse corruptum, quid fiet nouo? in cuius libros & mole & numero, & antiquitate cum V. Testamento neutiquam comparandos, tam paucis annis varietates longè plures, eæque non solum circa singulares literas, sed & voces integras, hemistichia, versus, irrepsere. Credemúsne vetus Testamentum Deo magis curæ fuisse quàm nouum?* &c.

Secundò respondeo, omnes illos autores, si Erasmum, Robertum Stephanum, Bezam, Casaubonum, & Ludouicum de Dieu excipias, de solis Hebraicis libris verba facere. Sed, vt vidistis, hæc exceptio

nihil ad rem facit, imò rationem nostram confirmat: si tot mendis scatet nouum Testamentum, multò magis vetus. Præterea tamen Erasmum audiamus ad Matt. c. 5. ad hæc verba, iota vnum aut apex, *Mihi videtur sermo καθ' ὑπερβολὴν dictus. Neque enim laboratur de literarum apiculis cum cõstet non pauca etiam volumina veteris instrumenti intercidisse, quorum nomẽclaturã adhuc videmus in canonicis voluminibus veluti libros bellorũ domini, qui citãtur Num. 21. & librum iustorũ qui citatur Ios. c. 10. &c. Non igitur laboratur de apicibus, sed asseueratur nihil omnino promissum aut proditum in lege Mosaica, quod Euangelium non absoluat.* Id quod dicit Erasmus de litera comparatè ad libros deperditos, pari ratione de cæteris literis, atque etiamnum de dictionibus, si sese tunc dedisset occasio, affirmasset. Per apices autem literam jod Erasmum intellexisse ex eodem loco manifestum est, cum apiculorum quæ puncta dicuntur, antiquitatem non admittat. De Ludouico autem de Dieu quomodo lubens hanc assertionem non amplecteretur, qui in N. T. Græco, Latino, Hebraico duplici, Syro, Arabico, Æthiopico tot varietates adnotauit.

Verùm ad quæstionis decisionem plurimùm proderit Bezæ de mendis Hebraicis testimonia hûc referre. Scribit ad cap. 13. Act. v. 41. vbi citatur locus ex Habacuc, *Videte contemptores, in Hebræo legitur* בגוים, *bagoÿm, pro quo videntur Græci legisse* בוגדים, *boghedim*. En Bezæ valde probabile est, 70. Interpretum codicem aliter legisse quàm nunc in Hebræo legatur. Idem in cap. 10. Epist. ad Romanos v. 18. *In Hebræo*, inquit, *legitur* קום, *Kauam, id est, regula seu amußis eorum: quo vocabulo significatur compositam illam, & ad amußim fabrefactam cælorum molem, velut prædicare infinitam artificis præstantiam. Græci verò vel* קולם *Kolam legerunt, pro* קום *Kauam, vel locutionem studuerunt emollire*. In eiusdem Epistolæ c. 10. v. 11. Omnis qui credit in illum non confundetur. *Hebræa veritas habet* לא יחיש, *Lojachisch, non festinabit, sensu vel eodem, vel non multum diuerso*, &c. *Suspicor tamen Græcum Interpretem legisse* יבוש *jabusch*. Posterius istud rectà significat, *confundetur*. Et iterùm ibid. ad cap. 11. v. 26. *Hebræa veritas habet,* ולשבי פסע ביעקב, *vleschabe pesah bejahakob*, i. *& ad eos qui resipuerint à peccato in Iacob. vbi Græci legerunt* ולשוב

valeschub, sed eadem manente sententia Epist. ad Hebr. cap. 10. v. 38. *Quia Deum loquentem inducunt, tertiam personam in primam mutarunt, nisi malimus eos* נפשי *naphschi, pro* נפשו *naphscho legisse, quasi ad verbum conuertas. Non erit recta anima mea erga eum*, & eiusdem Epist. c. 11. v. 21. *Ego verò fateor Græcos vnum idemq; vocabulum aliis punctis vocalibus expreßisse, vtpotè qui* מַטֶּה *mateh, legerint, non* מִטָּה *mitah, vt scriptum habemus.*

Drusius Frandkeræ in Frisia linguæ Hebraicæ Professor & multis libris editis in eo doctrinæ genere celebris in notis ad parallela easdem ex textu Apostolorum, & 70. Interpretum textus restitutiones conjicit, pag. 107. בנוים restituit בנרים, pag. 112. קום reponit קלם, & p. 121. pro mitah ait 70. legisse mateh, pag. 114. v. 26. Rom. 11. vbi ἀποστρέψει. *Quid est cur ita verterint 70.* לשבי? *conjcio eos legisse inuersis literis* לשיב, *quod plenè esset* להשיב, *vel certè* לשוב *ioth in vau conuersa, &c. simile hos. 12. 3.* ולפקוד על יעקב, *& animaduertet in Iacobum*, pag. 121. de versu 4. cap. 10. Epist. ad Hebreos. *Scriptum in Hebræo* נפשו *per vau, atque ita Hieronymus legit olim dum verteret, Ecce qui incredulus est, non*

erit recta anima eius in semetipso. At Aquila tamen videtur legisse נפשי per Ioth. Sic enim edidit referente Eusebio, οὐκ εὐθεῖα ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ, quod stabilit prorsus editio Græca Vulgata quam Apostolus expreßit. p. 122. ad v. 6. c. 12. eiusdem Epistolæ, flagellat autem, &c. *Ita 70. An legerunt* יכאב *in quo significatio doloris qui* כאב *dicitur? An potius scholion est hoc μαστιγοῖ? Nam huiusmodi quid deesse videtur.* Plura capite sequenti ex Schindlero Lutherano referemus quæ nobis cum eo communia sunt.

ὦ φίλαι κεφαλαί, ἀλλ' οὐκ ἐγκέφαλαι, an de impudẽtia vestra cõquerar, an imperitiam vestram ridebo? de impudentia, qui me vobis incognitum tam atrocibus iniuriis lacessiuistis, eo quod eam sententiam in præfatione mea amplexus fuerim, quæ à tot vestræ sectæ hominibus publicis scriptis docetur, quam Beza tot exemplis, & ipsissimis quæ in illius confirmationem protuli, explicauit. Si flagitiosissima præfatio mea, flagitiosissimi ergo Beza & Drusius qui iisdem exemplis eademq; textus restitutione freti, idem quod nos toties colligunt, 70. scilicet Interpretes eosque secutos Apostolos in textu Hebræo aliter legisse, quàm nunc legatur. An imperi-

tiam vestram ridebo, qui homines vestros id quod tanta cum execratione abominabimini publicè docentes, ignoratis? Quibus specillis longè dissita cognosceretis, qui ad ea quæ oculis vestris quotidie obuersantur, cæcutitis? Sed impudentiam imperitiamque vestram missas faciamus: simplici enim eorum quæ sequuntur narratione animus vester, ni vehementer fallar, licet atra maleuolentia suffusus, pudore suffundetur.

Antequam tamen eos dimittam, proferam adhuc vnum ex Beza testimonium quod nunc occurrit, & alibi ex parte tetigimus, in Epist. 1. ad Corinth. c. 15. v. 55. *Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus?* Hunc versum ex 70. Interpretib. citatum sic cum Hebræo textu neoterico conciliat. *Apud Oseam sic legitur hic locus vnde petitum est posterius membrum,* אהי, דבריך מות, *Ehi debarecha maueth. Ero pestes tuæ mors. Itaque Græca editio quam secutus est Paulus, legit* איה, *aye, vbi pro,* אהי, *Ehi, ero, per Metathesin, quam notant eo loco quidam etiam ex Hebræis interpretibus. Deinde* דבריך, *debarecha, Græci interpretes deduxerunt non à* דבר, *deber, quod pestem declarat, sed à,* דבר *dabar quod significat*

verbum , idque translatitiè acceperunt pro quo vernaculo sermone dicimus, vn plaid, &c. Ideo in Græca editione qua nunc vtimur scriptum est νίκη, pro quo Paulus fortaßis scripsit non νῖκος, vt nunc legimus, sed νεῖκος, id est, contentio. Sic etiam hunc locum citante Augustino in Ioan. tract. 12. &c. & Paulo post, ad aliud versus membrum. *Itaque hic rursum Græca editio, quam secutus est Paulus, legit, sine vlla tamen sensus iniuria, & non repugnantibus quibusdam Hebræis Interpretibus* איה, *Aÿe, vbi, pro,* אהי, *ehi, ero, vt in præcedente membro.* Hæc ex Beza nobis occurrunt, sed ex Drusio capite sequenti multò plura.

Ex versionis comparatione cum dato codice Archetypo rectè nonnunquam colligi Archetyporum varietatem, Hæreticorum sic colligentium autoritate demonstratur. Aduersariorum stupor, ἀχειοσία, mens furiata, cæcitas.

Capvt VII.

Tertia causa nobis superest edisserenda, quæ homines istos stomachosos in furorem præcipites egit, quòd scilicet ex variante ab Hebræo textu 72. Senio-

rum interpretatione textus Hebræi variationem collegerimus. Illius demonſtrationem ab ipſa theſi arceſſemus, eamque in duas partes diſtribuemus. Prior Hæreticorum, poſterior Iudæorum teſtimoniis conſtabit. Ante omnia notandum eſt nos vniuersè nunquam dixiſſe, ex variante ab Hebræo textu Græca interpretatione varietatem in Hebræo textu eſſe colligendam, niſi Græcam interpretationem confirmarent antiqui codices Hebræi illis locis à vulgo excuſis variantes, ſed cautiones ſeptem adhibuiſſe, quas repetere ſuperuacaneum eſt, cum ſupra relatæ ſint. Harum autem nulla locis in quos mendas irrepſiſſe ſcripſimus, conuenire poteſt. Itaque neceſſariò aut ad mendas in textum illapſas confugiendum eſt, aut perpetuò aſſerendum S Hieronymum & 70. Interpretes cum ſacrum textum Græcè, Latinéque verterent, modo verba præpoſterè vel præcipitanter legendo tranſiliiſſe: modo malè pronuntiando ח pro ה; ע pro א; ק pro ג; &c. accepiſſe: modo cæcutientes ד pro ר; ב pro כ; ס pro ם; &c. legiſſe; modo animum non aduertentes literas negligenter permutaſſe, aliaque permulta ſupinæ indiligentiæ peccata

commisisse. Quis hoc de 70 Interpretibus credet, quos vniuersa antiquitas θεοπνεύστους credidit, quos solos Apostoli Ecclesiæ legendos tradiderunt? Quis hoc de S. Hieronymo credet, qui tanto cum labore vetus Testamentum transtulit, quique adeo sæpe prouocat ad Iudæos diligentiæ & fidei suæ testes? Sed nihil speciale 70. aut S. Hieronymo tribuamus. Cum varietates illæ adeo sæpe contingant, quis nisi furore excæcatus aut mente captus, ea translatorum negligentiæ semper imputabit, Scribarum verò incuriæ & παροράματι nunquam? Ita sit, si quis peruicaciter contendat, hallucinati fuerint Septuaginta Interpretes, S. Hieronymus. Nunquam ne hallucinati sunt Iudæorum Scribæ? Num ὀρθογραφεῖν καὶ καλλιγραφεῖν, ita sunt doctæ eorum manus, vt παραγράφειν καὶ ψευδογραφεῖν nunquam possint? Hæc planè ridicula.

Argumentatio nostra plana est, naturalis, omnibus pari data occasione consueta qui versiones cum archetypo textu conferunt, siue rei sacræ, siue prophanæ sint interpretationes. Sic sæpe id facere solitus est S. Hieronymus, vt in Epist. ad Galatas c. 3. *Ex quo mihi videtur*, inquit, *aut veteres*

veteres Hebræorum libros aliter habuisse quam nunc habent, aut Apostolum, vt ante iam dixi, sensum scripturarum posuisse non verba: aut quod magis est æstimandum post passionem Christi, & in Hebræis & in nostris codicibus Dei nomen appositum, &c. Ita omnino vt S. Hieronymus in eiusmodi negotio est disjunctiuè colligendum; sed tertia disjunctionis pars quam præcedentibus longè præfert Sanctus de Iudæis non mihi sit satis probabilis; licet eodem capite illam iterum amplectatur. Itaque hac in causa duarum priorum alterutri adhærendum. Sæpe autem multę circumstantiæ faciunt, vt secunda locum habere non possit; aut vt saltē id probabiliter dici nequeat. Ergo sæpe ad primam confugiendum, vt bis eo capite facit S. Hieronymus, & alibi sæpissimè, cuius rei exempla multa congessimus Exercit. Biblicæ, 6. cap.11. Sed dimisso S. Hieronymo, cui Nouatores parum tribuunt, Hæreticos testes proferamus. Sic vidimus capite præcedente Bezam ex 70. interpretatione à textu neoterico Hebræo diuersa, aliud ab iis in textu Hebræo lectum quàm nunc scriptum sit, collegisse. Millies id facit Beza adnotationibus in nouum

Teſtamentum: Experientia doctus Vulgatam verſionem cum à Græco textu neoterico aut nonnullis Græcis exemplaribus diſſentit cum aliis conſentire. Ideo Eraſmum acriter increpat quod temere nimis veterem Interpretem reprehendat velut à Græcis diſſentientem. *Fateor*, inquit, *diſſentiebat ab iis exemplaribus quæ ille nactus erat. Sed non vno in loco comperimus aliorum codicum, & quidem vetuſtiſſimorum autoritate eam interpretationem niti quam ille reprehendit. Quinetiam aliquot locis animaduertimus veteris Interpretis lectionem, quamuis cum noſtris exemplaribus Græcis non conueniat interdum, tamen multò melius quadrare, nempe quod emẽdatius aliquod exemplar ſecutus eſſe videatur.* Et in c. 8. Lucæ v. 54. *Eiectis foras omnibus, vetus Interpres hæc non legit: reperimus tamen, vt extant etiam apud Syrum interpretem, in omnibus noſtris vetuſtis codicibus, ſi duos excipias, quorum mirificus eſt cum vulgata editione conſenſus.* Sic paſſim apud eum videas & Robertum Stephanum (ſi Græcum textum adiunctis illius variis lectionibus cum Vulgata conferas) Vulgatam vbi à Græco excuſo textu diſſentit, à duobus, tribus, quinque, decem, &c. manu-

scriptis Græcis codicibus, imò nonnunquam ab omnibus confirmari. Itaque fere semper valida est hæc argumentatio, Vulgata N. T. interpretatio à Græco excuso diuersa est, ergo Græcus textus hoc loco variè legitur. Dixi fere semper: Mendæ enim nonnullæ à tanto tempore in Vulgatam irrepserunt. Huius rei apud Bezam innumera sunt exempla vbique per ipsius adnotationes dispersa. In Exercitatione nostra Biblica 2. vltra quadringentos locos ex duobus antiquissimis exemplaribus Græcis collegimus in quibus Vulgata noui Testamenti interpretatio à Græco vulgato dissentit, & cum duobus illis exemplaribus consentit; quibus passim alios codices antiquos consentientes ex Beza, Roberto Stephano, Erasmo, nonnunquam ex Patrum commentariis composuimus. Hinc ista textus sacri curiosus Lector arcessere poterit. Sufficiet maioris explicationis gratia ex adnotationibus Bezæ ad cap. 8. Lucæ iam citatum, & ad c. 9. exempla promere. Cap. 8. v. 9. *Interrogabant eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola.* Græcè additur, λέγοντες, *dicentes quæ esset, &c.* qua dictione Vulgata caret. Versu 20. *Et nuntiatum est illi, mater*

tua, &c. Græcè additur, λεγόντων, *dicentibus mater tua, &c.* Versu 54. *Ipse autem tenens manum eius.* Græcè additur, ἐκβαλὼν ἔξω πάντας, *eyciens foras omnes.* Num dices ideo in Vulgatam irrepsisse triplicem mendam, eo quod cum Vulgato Græco textu tribus his locis non consentit. Caue ne ita temere pronunties. Imo tres illæ à Græco textu varietates tot sunt mendarum in Græcum textum illapsarum argumenta. Græcus enim codex è quo vertit Interpres, dictiones illas in textu suo non repræsentabat, à quo postmodun neotericus excusus degenerauit. Audi quid de vnoquoque Beza sentiat. Sic ad vers. 9. *Hoc participium neque in veteribus codicibus duobus neque apud Syrum Interpretem, neque in vulgata editione reperitur; nec potest conuenire nisi pro ἐὰν legas ἐπὶ, vt sit recta oratio.* Ad versum 20. *Non legimus hoc participium neque in vulgata editione, neque in nonnullis codicibus, imò nec apud Syrum Interpretem. Et certè rarum est.* Quid ad versum 54. scribat, iam retulimus.

Quæ à Beza adnotantur cap. nono partim sunt eiusdem generis, partim alterius: Non enim aliquid tantum omittunt, sed etiam diuersum efferunt, sed varietates il-

læ, vt omissiones Beza teste & antiquis codicibus & recta ratione nituntur. v. 1. Vulgata, *conuocatis autem duodecim Apostolis*. Græcè, μαθητὰς αὐτοῦ. v. 3. Vulgata, *neque virgam*, Græcè, μήτε ῥάβδους, neque virgas. Vulg. versu 52, *in ciuitatem Samaritanorum*. Græcè, εἰς κώμην Σαμαρειτῶν, in vicum Samar. Vulgata vers. 54 *Domine vis dicimus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?* Græcè additur, ὡς Ἡλίας ἐποίησε, vt Elias fecit, Vulg. v. 56. *Filius hominis non venit animas perdere.* Græcè additur ψυχὰς ἀνθρώπων, animas hominum. An inde menda colligetur in Vulgatam irrepsisse? Hinc tantùm colligitur archetypi textus varietas, Interpretem scilicet codicem Græcum nactum esse, ab eo qui nunc manibus versatur variantem. Bezam audiamus. Ad v. 1. *In octauo codice legimus* τοὺς δώδεκα ἀποστόλους, *id est, duodecim Apostolis, sensu nihil variato. Placuit tamen hoc annotare, nequis temere veterem Interpretem reprehendat.* Ad versum 3. *Virgas* ῥάβδους, *sic scriptum inuenimus in omnibus vetustis exemplaribus præter vnum quod cum vetere editione legit* ῥάβδον, *id est, virgam, quod etiam est in Syra interpretatione.* Ad versum 52. *In vicum*, εἰς κώμην. *Sic habet*

etiam Syrus Interpres. In quibusdam tamen codicibus legitur, εἰς πόλιν in vrbem, quod secutus est vetus Interpres. Sed illud præfero. Ad versum 54. *Hæc non legimus in quodam codice, nec in vulgata editione.* Ad vers. 56. primum notat hanc periodum quæ versuum 55. 56. maximam partem componit, in quinque manuscriptis codicibus deesse, καὶ εἶπεν οὐκ οἴδατε οἵου πνεύματός ἐστε ὑμεῖς. ὁ γὰρ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθε ψυχὰς ἀνθρώπων ἀπολέσαι, ἀλλὰ σῶσαι. Deinde subdit. *Rursum in quibusdam annotat Erasmus non addi ἀνθρώπων, quod etiam omittitur in vetere editione, nec legitur apud Syrum Interpretem.*

Quid verò? An vulgatam interpretationem à Græco dissentientem propugnare non licebit, nisi nobis præstò sint manuscripti aliqui codices? Minimè gentium. Quis enim codices omnes manuscriptos recuperare potuit? Quasi verò mendosissima erit si nulli adsint codices; moxque cum adfuerint, eadem illa immutata permanente, erit purissima? Sed ex manuscriptis codicibus qui illam à Græco dissentientem confirmant, validè colligitur etiam cum desunt manuscripti, non esse temerè damnandam aut carpendam, cum

plerumque ex ipſa Græcus textus meritiſſimè caſtigetur; aut ſi vtraque lectio admittatur, colligi neceſſariò debeat πρωτότυπον varietates inuaſiſſe. Bezam illo ipſo capite argumentantem audiamus. Ad verſum 44. Vulgata, *& erat velatum ante eos.* Græcè, καὶ ἦν παρακεκαλυμμένον ἀπ' αὐτῶν, & erat abſconditum ab illis. *Vulgata legiſſe videtur*, ἔμπροσθεν αὐτῶν. Ad verſum 48. Vulgata, *hic maior eſt*, Græcè οὗτος ἔσται μέγας. Vulgata legit, ἐστὶ, *eſt, in præſenti: quam lectionem magis ſinceram eſſe puto. Sed & pro* τοῦτο τὸ παιδίον, *hunc puerulum, fortaſſis legendum eſt*, τοιοῦτο παιδίον *huiuſmodi puerulum.* Ad verſum 53. Vulg. *Quia facies eius erat euntis in Ieruſalem.* Græcè, ὅτι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον, &c. Quia facies eius erat vadens, &c. *Mihi durum & inſolens videtur hoc dicendi genus. Itaque etſi nihil in Græco emendare ſum auſus contra codicum fidem, tamen cum vetere Latino Interprete exiſtimo ſcribendum* πορευομένου, *quoniam Chriſtum tendere viderunt Ieroſolymam verſus, ipſius ſcilicet vultu illuc obuerſo.* Singulis capitibus apud Bezam ſimilia deprehendes; fortuitò tantùm aperiendus liber. Tribus his poſtremis locis nullus cum adiuuat manuſcriptus codex: Ex

vulgata tamen affirmat Græcum textum esse corrigendum. Quod in Græco textu per Bezam licet, in Hebræo quidni licebit? An Deo curæ est solus textus Hebræus, aut insigni aliquo dignitatis priuilegio donatus, quo Græcus frui non meretur?

Nolim tamen insanè more vestro colligatis, Ergo vbicunque differt interpretatio aliqua ab archetypo, mendæ est accusandus archetypus. Nam preter cautiones septem quæ in hoc negotio dictæ sunt obseruari debere cum agitur de comparatione interpretationis 70. Interpretum cum archetypo textu, tres aliæ in omnibus interpretationibus naturâ duce sunt considerandæ. 1. vt Interpres verba phrasimque autoris intellexerit: Periculum ab huius cautionis incuria non est in 70. & S. Hieronymo reformidandum. 2. vt nulla sit in versionis loco comparando corruptelæ suspicio, 3. vt in vtroque aut alterutrius textu varietatis ratio compareat. Sed cautio hæc cum manuscriptis codicibus interpretationis textus nititur, ad mendæ in textum archetypum irreptionem demonstrandam, minimè est necessaria. Cum autem textum archetypum autori-

ginarium dicimus non intelligimus codicem illum ex quo immediatè vertit Interpres, multò minus Apostolica aut prophetica manu exaratum. Fatemur enim, nec quis sanæ mentis negare potest, textus sacri versiones omnes ad eiusmodi codicem, præsertim si ipsissimus esset Apostolicus aut propheticus, esse exigendas, de qua re multa & sæpius scripsimus in Exercitationibus nostris Biblicis, sed archetypum aut originarium vocamus, eo quod lingua archetypa aut originaria descriptus sit, licet forsan, ab archetypo seu πρωτοτύπῳ sit centesimum ἔκτυπον. Quid quæso prohibet, ne in ἐκτύπων istorum de πρωτοτύπῳ exscriptione mendæ irrepserint? Nisi mihi vobiscum res esset, qui mente furiata densissimis ignorantiæ tenebris excæcata præcipites acti quid blatereretis nihil pensi habetis; non erat hîc opus istorum vos admonere, cum solus naturalis rationis ductus, & perpetua literatorum consuetudo vnumquemque mentis compotem hæc nullo monente satis doceant. Sed quid asinis cum vnguento, & vobis cum literatis? Alios tamen eiusdem argumentationis testes vobis, vt opinor, acceptissimos producemus.

Ludouicus de Dieu ad cap. Matt. 24. v.28. ex eo quod Vulgata vertit, *vbicunque fuerit corpus, &c.* colligit in Græco textu Interpretem legisse σῶμα, non πτῶμα. Licet omnes codices Bezæ, πτῶμα scriptum habuerint. Vulgatæ Syrum consentire rectè notat aduersus Drusium & Bezam; nam פגרא Syrè corpus est non cadauer, vt significatione Hebraica decepti sunt Drusius & Beza. Ad Marci c. 1. v. 2. *Syrus non legit* ἔμπροσθέν σου, *quod tamen in Græcis codicibus extat, & à Vulgato atque Arabe lectum fuit.* Et ad versum 5. colligit Syrum legisse in textu è quo vertebat, καὶ πάντες οἱ Ἱεροσολυμῖται, vt Vulgatus, Arabs, & antiquissimus Bezæ codex, non autem καὶ οἱ Ἱεροσολυμῖται, vt habet vulgata lectio Græca. Ad Lucæ c.6. v.26. colligit Syrum Interpretem non legisse πάντες, licet Vulgata Latina, textus Græcus & Arabs illam dictionem exhibeant. Non ideo existimat in Syrum textum mendam irrepsisse, sed Syrum Interpretem cum verteret codicem Græcum nactũ fuisse à vulgato Græco hoc loco variantem. Vide ad cap. 9. v. 3. & 15. ad Acta Apost. c. 1. 4. 14. cap. 2. v. 1. 2. 26. 30. 31. 45. cap. 3. 11. cap. 7. 44. c 8. 13. cap. 9. 6. 7. 28. 29. &c. Ex istis animad-

uerſionibus innumera eiuſmodi colligi poſſunt. Ludouico addam Eduardum Anglum Oxonienſem in notis ad Epiſtolas Syriacas primam Petri, tertiam Ioãnis, & Iudæ quas Latinè reddidit, quæque Ludouici animaduerſionibus in Euangelia ſubiectæ ſunt. Ad 2. Petr. cap. 2. 13. מכתמא ומליין מומא, *inquinati & pleni maculis, male puto, niſi aliter legerit, ſubſtantiuè hæc verba effert Etzelius*, & eodem verſu. *Videtur Interpres pro* ἀπάταις, *legiſſe* ἀγάπαις, *qua voce loco citato vtitur Iudas*. ad v. 17. מן לעל *deſuper, Etzelius à turbine magis vt opinor hic Græcum textum qui habet* ὑπὸ λαίλαπος *reſpiciens, quam Syriacum, niſi exemplar quo vſus eſt, à noſtro diſcrepauerit.* Et ad v. 18. *Vterque interpres*, Arabs, & Syrus, *ea videtur exemplaria ſecutus quæ* ὀλίγον, *ſeu* ὀλίγως *legunt, non* ὄντως. Iſtiuſmodi animaduerſiones viris doctis ſolemnes ſunt, nec aliter ſentirent Literatores noſtri ſi ſolidæ & reconditæ literaturæ guſtum haberent.

Ioannes Druſius eodem argumento paſſim colligit Interpretes modo aliter legiſſe in textu Hebræo, modo aliter in Græco, nec ideo belluinæ rabiei à quoquam ſe poſtulari reformidat. In frag-

mentis veterum Interpretum ad cap. Geneſ. 26. v. 20. *Legerunt*, (ſcilicet, 70. Vulgatus, & Scholiaſtes) עשק *cum puncto in dextro cornu literæ*, ש, *&c. nunc legunt* עשק *cum puncto in cornu ſiue dente ſiniſtro : id reddunt iurgium.* Tres ibidem alios locos refert in quibus idem affirmat contigiſſe. Ad Ieremiæ cap. 1. v. 11. de S. Hieronymo ſcribit, *Mirum autem cum dicat Saced nucem ſignificare, cur verterit, Virgam vigilantem, id eſt, ſeced. An legit aliter quàm nunc eſt in codicibus Hebræis, videtur : Nam etiam Aquila & Symmachus ita legerunt.* In Pſal. 31. v. 22. בעיר מצור, Symmachus ὡς ἐν πόλει περιπεφραγμένῃ, vt in vrbe circumuallata. Videtur legiſſe, כעיר, per Caph. In Ierem. c. 2. v. 2. *Vade & clama in auribus Ieruſalem dicens*, λέγων. *Hæc verba habentur in editione Complut. Olim teſte Hieronymo addita erant ſub Aſteriſcis de Theodotionis editione, qui verbum Hebraicum* קראת *interpretatus eſt, lege, &c.* Vnde colligas lectum olim in Theodotione ἀνάγνωθι. Vide ad Iob. c. 3. v. 18. ad Pſal. 10. v. 1. ad Pſal. 111. v. 5. & alibi ſæpius.

In adnotationibus ad parallela ſacra eadem collectione frequentiſſimè vtitur. pag. 81. *Ex Ægypto vocaui filium meum.*

Prius erat in LXX. τὰ τέκνα αὐτῆς, *ut dici poßit Interpretes illos legiſſe* לבנו *: nam procliuis atque adeo frequens error de joth in vau.* & pagina 85. *Hic deſideratur Vehaacharon hichbid, cuius declaratio in LXX.* καὶ οἱ λοιποὶ οἱ τὴν παραλίαν. *Iudico eos legiſſe, Vehaacherim hacchibiad, & alÿ qui velut in latere, id eſt iuxta.* Quàm εὐστόχως hîc coniiciat, non diſputo, Nunc Hebraicè, ואחרון הכביד דרך הים, locus eſt Iſaiæ 9. 1. Pagninus vertit, *vltimò fecit aggrauari viam maris.* Pag. 92. *Quòd ſi conſtaret Matthæum Hebraicè ſcripſiſſe, dicerem aliud, quod nemo ante me; Nam per Prophetam, id eſt,* הנביא ביד *verſa daleth in Res(quod procliuè nec minus frequens propter ſimilitudinem) emergit,* ביר, *id cum nota compendÿ valet,* διὰ Ἱερεμίου, *ſiue in Ieremia. Sed hoc pono, non ſtatuo.* Pag. 109. *Conſideranti autem attentius verba* Hebraica *videntur mihi Interpretes illi quos ſecutus eſt Euangeliſta noſter, legiſſe hoc modo* למען ידרשו את שארית אדם, *ut requirant reliquiæ hominum, id eſt, reliqui homines.* Locus habetur Amos 9. 12. ſicque nunc legitur, למען יירשו את שארית אדום, vt poſſideant reliquiæ Edom. Pagina 113. *Interpres Syrus nos admonet de alia lectione quam ipſe ſecutus ita vertit, fiat menſa ipſo-*

rum eis in laqueum, & pœna siue talio ipsorum in offendiculum, id est, γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν ἐνώπιον αὐτῶν εἰς σκάνδαλον. En vt ex versione Syra restituit textum Græcum vt Syrum Interpretem existimat legisse. Non erat hic locus omittendus. Agitur de loco 1. Cor. 15. 55. Vbi est mors stimulus tuus? *mirum ni legit* דברנך *pro joth nun. Tanta enim similitudo harum literarum in charactere minuto; quo credibile est olim vsos exscriptores, librariosque vt discriminari nonnisi ægrè admodum queant. Atque hinc factum puto quod in tertia futuri Chaldaici, quanquam rarius, nun vicem joth obeat. Certè enim* נשרוף *legitur in libris pro* ישרוף *comburet, qua forma verbi magistri etiam vtuntur. Iam verò notum est vt literæ aliquando in dictionibus transponantur. Nam &,* עולה, *Aula dicimus &* עלוה *Alua, &c. Sic forte Apost. (nisi libro vsus in quo* דרבנך *) existimauit,* דברנך *idem esse atque* דרבנך, *stimulus tuus, &c.* In textu Hebræo nunc legitur אהי דבריך מות, vbi pestis tua, ô mors? Vult igitur Drusius Apostolum pro דבריך legisse jod in nun mutata, & beth in locum Res traiecta דרבנך, stimulus tuus, vel sola τοῦ joth in nun mutatione, & existimasse דרבנך idem esse quod דבר, eo

quod דבר, significet duco, ago. Sed illa significatio τοῦ דבר Chaldaica est, non Hebraica. Verùm quidem est 70. Interpretes dictiones Hebraicas Chaldaicè nonnumquam interpretari, imò posteriores Prophetas quasdam etiam Chaldaica significatione vsurpare. Hæc ex Drusio. Nonnulla alia capite præcedente retulimus ex eodem in quibus contigit nos in præfatione idem cum ipso animaduertere.

Idem etiam data occasione colligit, vel collectum laudat Sixtinus Amama, vt Antibarbari lib. 2. vbi de cap. 6. Geneseos. *Quid spectarint illi* (Septuaginta) *dum sic hoc loco verterunt, non malè Leo Castrius diuinauit, vt videlicet pro* ידון *legerint* ילון. *Quomodo sæpe* ל *pro* ר *& pro* ר *vt Psalmo 56.* נומל *pro* נומר *legisse eos post alios Drusius in Coniectaneis ad versionem Græcam Prophetarum minorum obseruauit passim.* Et eodem libro ad cap. 23. Num. v. 19. *LXX.* οὐχ' ὡς ἄνθρωπος ὁ Θεὸς διαρτηθῆναι, *Quæ sic versa reperio in editione Basileensi, Non vt homo Deus ad mentiendum. Crediderim Interpretem eum quisquis fuit, legisse* οὐχ' ὡς ἄνθρωπος ὁ θεὸς διαψεύσασθαι, *vt habet editio Complutensis: hoc enim est ad mentiendum, &c.* Antibarbari lib. 3. ad Psalm. 92.

v. 11. *Vulg. Senectus mea in misericordia vberi. Hebr.* בשמן רענן, *LXX.* ἐν ἐλαίῳ πίονι, *in oleo pingui. Non dubium quin vulgata legerit* ἐλέῳ; *Nec refragantur Bellarm. & Genebrardus.* Paulò post in hæc verba Pſ. 119. Dormitauit anima mea præ tędio, Hebraicè דלפה ſtillauit. *At quid commune eſt dormitationi cum ſtillatione? 70. ſcripſerant* ἔσταξε *diſtillauit, atque ita legerunt & Ambroſius & Origenes: at imperita manus illud in* ἐνύσταξε *deformauit.* Hæc eſt Bellarmini reſtitutio quam approbat. ad Pſalmum 132. 15. Benedicam eſcæ eius, Lxx. θήραν, venationi Vulgata, viduæ; *Caluinus*, inquit, *in comment. exiſtimabat primitus ſcriptum fuiſſe victum, hinc vidum, hinc denique viduam factum. Ita*, inquit, *Melchior Canus de locis Theologicis.* 2. 15. Denique in Cantic. c. 2. v. 4. ordinauit in me charitatem, *LXX. legerunt* דגלו, *reddunt enim* τάξατε, *& Symmachus* ἐπιστορεύσατε.

Idem data occaſione ſupponit & docet Sculterus prædicationibus & varia doctrina ſuis famoſus cap. 13. Obſeruationum in 1. ad Timoth. ſic ſcribit in v. 6. cap. 2. *Niſi ego vehementer fallor, locus iſte omnino eſt corruptus. Nam pro* μαρτυρίου *Beza ſcribit, ſe in vno codice legiſſe* μυστηρίου, *quæ lectio ipſi*

magis

magis placet quàm vulgata: siquidem crebrò eiusmodi formula apud Paulum reperitur, &c. Præterea veterem Interpretem non arbitror tam audatulum fuisse, vt de suo adderet, Cuius, nisi id in suo codice expreßè additum inuenisset. Vtinam sic semper in hac causa argumentarentur Hæretici! hæc lis breuissimè componeretur. Item cap. 11. Obseruat. in 2. ad Timoth. *Nec aliter legit Syrus quàm* εἴποτε, *si quo modo. Ideo Tremellius vertit ex Syriaco, si fortè, textus Græcus vulgatus habet* μήποτε.

Idem frequentissimè ex 70. Interpretum & S. Hieronymi tralationibus colligit Schindlerus in dictionario Pentaglotto: Ea seligemus in quibus nobiscum conuenit, quorum nonnulla ab ipso acceperamus. Ad dictionem קו, *sonus eorum*, 70. ὁ φθόγγος αὐτῶν. *legerunt* קולם, *quod est in versu præcedente ob* ל *&* ו *similitudinem, aut olim sic scriptum fuit.* In radice כלם, Ps. 4. *Filij hominum vsquequo gloriam meam in ignominiam. Septuaginta, vt quid graui corde; legerunt,* כבודי לב למה, *graues corde quare, ob literarum* ב *&* כ *similitudinem, & vnam dictionem pro duabus acceperunt.* In radice לוח, *Ezech. 27. 5. Ex abietibus de Sanir ædificauerunt tibi omnes*

tabulas, לחותים*, &c. Hieronymus, tabulatum maris, legit* לחות ים*, duas dictiones. LXX.* ταινίαι σανίδων*, corona tabularum, pro* כל*, omnes legerunt* כליל *corona.* In radice, ברור*, Esa.* 29 3. *Et castrametabor, sicut* כדור *sphara contra te. LXX.* ὡς Δαβὶδ*, legerunt* כדור *ob literarum,* ד*, &,* כ*, similitudinem.* In radice שלח*, Hieronymus, qui mittendus est, legit* שילוח *à* שלח *misit, ob literarum* ה *&* ח *similitudinem.* In radice ימם*, Thren.* 2. *Magna est,* כים*, sicut mare contritio tua. LXX. magnum est* ποτήειον*, poculum contritionis tua, legerunt* כום*, poculum ob literarum* ו *&* י*,* ם *quoque &* ם *similitudinem.* In radice נשק*, Ps.* 2. נשקו בר*, osculamini filium. LXX.* δράξασθε παιδείας*, apprehendite disciplinam. acceperunt pro* נשקו*, apprehendite propter literarum* ש *&* ש*,* ק *&* ג *similem sonum : &* בר *pro puritate, doctrina pura.* Legit etiam eodem modo paraphrasis Chaldaica, quæ vertit קבלו אלפנא*, accipite doctrinam.*

Plerisque aliis in locis similia obseruat, sed nos ea selegimus in quibus nobiscum conuenit. Quid ad hæc εὔφημαι γλῶσσαι? Quæ nos 70. Interpretum interpretationem cum Hebræo textu comparantes obseruauimus, adnotauimus, illa ipsissima

obſeruarunt, adnotarunt Beza & Schindlerus; imò eorum pleraque S. Hieronymus, vt in præfatione noſtra ex ipſo retulimus. Si igitur Morini fatua eſt aſſertio, ſi infinitæ ſtoliditatis ac dementiæ, ſi deſperatiſſimæ vecordiæ quibus probris S. Hieronymum inceſſetis, quibus Bezam, & Schindlerum? An audebitis βλάσφημα γλῶσσαι καὶ περὶ τούτων ἐπιγλωττίζεσθαι? Schindlerum forſan regerent errores iſtos Lxx. Interpretum & S. Hieronymi cæcutientiæ aut conniuentiæ imputare, non autem Scribarum hallucinationi: Nihil enim eſt præter hoc quod obmurmurari poſſit. O ficulneum auxilium! S. Hieronymi & Lxx. Interpretum oculi caligarunt ſemper, aut lippierunt cucurbitas; ſed mercenarij Scribæ, auroque redempti nunquam non oculatiſſimi fuerunt, & lyncibus perſpicaciores? Credidit Schindlerus doctiſſimos & diligentiſſimos Interpretes literas Hebraicas paſſim non dignouiſſe, dictiones à ſe inuicem non diſcreuiſſe; Amanuenſes verò ignariſſimos, lucro tantùm inhiantes conniuere non poſſe, nec tranſuerſum intueri? Sed ipſe Schindlerus hoc negat cum diſertè ſcribit aliter olim in textu Hebraico quàm nunc

ſcriptum. Deinde nonnulla παροράματα refert quæ Interpres niſi planè oculis & mente cæcus committere non potuit, quæ verò Scriba etiam lynceus facillimè, quum lucri cupiditate feſtinans iam peruersè ſcripta peruerſius deſcribit. Hæc recta ratio neminem ea vtentem latere ſinit, & qui verſant manuſcriptos codices id experiētia quotidiana diſcunt. Denique qua coniectura colligetur Schindlerum Iudæorum ſcribis tantùm tribuiſſe, qui eorum Doctores credidit in ſacrum textum licet bono forſan zelo inuolaſſe, eique ſceleratas manus attuliſſe. Ad dictionem זמורה, crepitus ventris. Ezech. 8. 17. ſic notat, *Olim ſcriptum erat* אפי *naſum meum, ſicut præcedit* להכעיסני *ad irritandum me. Sed Scribæ mutarunt in Dei reuerentiam, quia indignum Dei maieſtate videbatur, ad ipſius naſum mitti fœtorem.* Et in radice תקן, *Correctio Scribarum ſunt duodecim & octo dictiones in textu Hebræo; quas ita Scribæ ordinarunt legendas vt Ezech. 8. Et ipſi mittunt crepitum ad* אפם *, naſum ſuum, cum olim ſcriberetur* אפי *, naſum meum.* Hæc de Hæreticorum ſententia & argumentandi conſuetudine ad reprimendam Anglobatauorum noſtrorum procaciam, & con-

tundendam ſtupidiſſimam ignorantiam ſufficere mihi videntur.

Eadem veritas Iudæorum ſic colligentium teſtimoniis demonſtratur. Antiquæ verſiones ſæpe exhibent varietates lectionum à Maſorethis poſtea animaduerſas. Idem quod nos de Hebræo textu collegit ex citationibus noui Teſtam. R. Azarias.

Capvt IIX.

IDem nobis ſupereſt Iudæorum ſic argumentantium teſtimoniis demonſtrandum. Hæc nunc occurrunt. Elias Leuita licet Hebræi textus fuerit ſuperſtitioſiſſimus cultor ſæpe tamen de Hebræo textu idem fert iudicium ex collatione paraphraſis Chaldaicæ cum textu Hebræo. Colligit enim nonnunquam aliter ab Interprete lectum fuiſſe quàm nunc in Hebræo legatur. Exempli cauſa, In Methurgemam radice רבא, citat ex 1. Sam. c. 15. v. 32. hæc verba, אכן סר מר המות, *Certè receßit amaritudo mortis.* Chaldæus inquit, interpretatus eſt, בבעו ריבוני מריר מותא, *Obſecro Domine mi amaritudo mortis, &c.* Et 1. Sam. 22. 14. וסר אל משמעתך *& receßit ſiue perrexit ad obedientiam*

tuam. Chaldæus ורב על משמעתך, & Dominus siue Princeps super obedientiam tuam, &c. Addit Elias, תרגם אותם כמו שר בשין. *Ita est interpretatus veluti* שר, *per Schin*, id est, veluti scriptum esset שר, Princeps. res est manifestissima. Si Paraphrastes legisset סר, nunquam Dominum aut Principem vertisset. Item Psal. 78. v. 69. in radice ויבן כמו רמים מקדשו ראם, *& ædificauit sicut excelsa Sãctuarium suum*, Chaldeus sic interpretatur, ובנא היך קרנא דרימנא, *& ædificauit sicut cornua monocerotis, &c.* Elias, נראה שקרא רמים כמו רמים בלי אלף, *videtur quod legerit* רמים *quasi scriptum esset* רמים *sine Aleph.* Præterea Ieremiæ 4. 16. in radice קשף, scribitur, נוצרים באים, *Custodes venientes.* Chaldæus אב עממין חטפין, *florem populorum demetentes.* Notat Elias נראה שקרא בוצרים בבית. *Videtur quod legerit* בוצרים, *per beth.* בצר, enim amputare & vindemiare significat. Denique in radice צרה, Psal. 50. v. vltimo, ושם דרך אראנו בישע אלהים, *& ponenti viã ostendã salutem Dei.* Vertit Paraphrastes Chald. ומאן דיצדי אורחא בישא אחמי יתיה בפורקן אלהא, *& qui vastauerit viam malam ostendam illi redemptionem Domini.* Elias sic notat, נראה שקרא ושם בשין ימין ובפתח

על משקל ותם לריק כחכם לשון שממה׳ אבל מה שאמרו ר׳ז׳ל אל תקרי ושם אלא ושם וכול׳ עשו בו פירוש אחר· *Videtur quod legerit* ושם *per Schin cum puncto dextro, & patach ad formam* ותם, *&c. significatione desolationis. Sed quid est quod dixerunt M. N. F. M. Ne legas* ושם, *sed* ושם *&c. Aliter hoc interpretati sunt.* 70. & S. Hieronymus ab vtrisque differunt, legerunt enim שָׁם illic. Consimiliter in radice נגר, Prou. 25. 10. בכסף במשכיות, *in figuris argenti.* Vertit Chaldæus בנגודי סימא, *in ductilibus argenti.* Elias, נראה שהוא מזה ענין׳ או היה קורא אותו ממשכיות בשין ימין מלשון מ משיכה ממש· *Videtur quod ex ista significatione deriuetur* (figuræ) *aut legit Interpres dictionem* ממשכיות, *per schin cum puncto dextro in simplici significatione, protractionis & extensionis.*

Quæ sequuntur ex comparatione antiquarum versionum cum Masorethicis textus varietatibus excerpta sunt, qua docetur ipso facto verum esse quod viri docti ex versionum coniectura assequuntur. Ea Lector, velim diligenter consideres: specimina sunt paucula quæ ex innumeris primùm occurrerunt. Exodi 21. 8. dicitur de serua Israëlitica iuxta S. Hieronymi in-

terpretationem, *Si displicuerit oculis Domini sui cui tradita fuerat, dimittet eam.* Similiter 70. Interp. ἣ αὐτῷ καθωμολογήσατο, quæ ipsi pacta siue desponsa fuerat. At nunc in Hebræo contrario modo legitur אשר לא יעדה, *qui non desponsauit eam*, sic vertunt, Pagninus, Arias Montanus, Iunius & Tremellius. Hebraico Iudaico consentit Hebraicum Samaritanum, & Interpres Samaritanus, necnon Interpres Syrus. Cum consentiant S. Hieronymus & 70. Interp. Num mihi licebit dicere aliter in suo codice legisse S. Hieron. & 70. Interp. quam nunc in Iudæorum codicibus legatur? Chaldæi Interpretes versionibus Ecclesiasticis consentiunt: Onkelos אם בישא בעיני רבונא דיקיימה ליה ויפרוק יתה, *Si displicet oculis Domini qui eã sibi pacto stabiliuit, tum redimet eam.* Ionathan Vzielis אין לא השכחת חינא קדם רבונהא דזמין יתיה יפרוק יתיה, *Si nõ inuenerit gratiam coram domino suo qui illi cõdixerat, & redimet eam.* Euidens est nullam ambos legisse negationem, cur enim eam non expressissent. Quidni licebit argumentari, Ergo codices quibus vsi sunt 70. Interp. S. Hieronymus, Onkelos, & Ionathan negationem illam non exhibe-

bant? sed litem dirimunt Masorethæ. Notant enim se in antiquis codicibus eam lectionis varietatem deprehendisse quam ex illis versionibus colligimus.

Iterum Leuit. 11. v. 21. 70. vertunt, *quæ habent crura desuper pedes suos*, sic S. Hieronymus; sic Onkelos & Ionathan, sic Syra versio, sic denique Samaritana interpretatio. Quid? num licebit colligere, ergo illi Interpretes in codicibus suis non legebant negationem quæ nunc legitur in codice Hebræo, aut saltem tum variabant codices Hebræi, lectionemque negatione carentem alteri pretulerũt? Hanc litem dirimant Masorethæ. Notant hoc loco lectionem variare, nonnullosque codices legere לו, quam lectionem omnes illi Interpretes secuti sunt, quámque adhuc nobis repræsentat textus Hebræus Samaritanorum. Iunius & Tremellius textum Hebræum secuti sunt, *quod nõ habet crura, &c.*

Iosuæ 15. v. 47. S. Hieronymus & 70. Interp. *Et mare magnum*, sic Chaldæus. Num licet colligere, ergo legerunt in codicibus suis והים הגדול, non autem vt nunc legitur והים הגבול, *& mare termini.* Argumentum falsum non esse docent Masorethæ qui hoc loco variantem lectio-

nem adnotarunt eandem quam ex Interpretibus collegimus. Sic Isaiæ 65.v.4.70. *ius hostiarum*, S. Hieron. *ius prophanum*. Ius quoque vertit Chaldæus. Colligo inde eos legisse in textu Hebræo מרק, non, פרק. Argumentum confirmant Masorethæ qui notant in margine מרק, legendum. Eodem modo rectè colligo, Arias & Pagninus vertũt ius, ergo lectionem marginalẽ secuti sunt. Contra, Iunius & Tremellius vertũt, *fragmen*, ergo legerũt פרק lectionem textualem. Eadem de cæteris, quæ sunt innumera, argumentandi ratio.

Hæc ex S. Hieronymo non videntur prætereunda. Isaiæ 49. v. 5. *Et Israel non congregabitur*, Aquilam reprehendit quod verterit, *ei congregabitur*. Excusari facile potest, legit in codice suo לו, S. Hieronymus לא. Vtramque lectionem notant Masorethæ. Septuaginta hanc dictionem non legerunt. Item cap. 63. 9. vertit, *in omni tribulatione eorum non est tribulatus*, scribit verti posse, *ipse est tribulatus*, quia legi potest לא vel לו. Hanc eandem varietatem Masorethæ notarunt. Chaldæus hoc loco legit לא, sed in præcedente לו. Septuaginta quoque legerunt hîc לא, sed pro, צר *tribulatus*, ציר. Denique Isaiæ 9. 2.

Multiplicasti gentem & non magnificasti lætitiam. Chaldæus Interpres, *Multiplicasti populum domus Israel ipsis.* legit לו non לא, vt & 70. vtramque lectionem Masorethæ notant. Pagninus in primo & tertio vertit, *ei*, in secundo, *non*, Iunius & Tremellius vbique vertunt, *non*, dictionem quę est in textu mordicus retinentes. Genes. 30. v. 11. vertit S. Hieronymus, *feliciter*, 70. ἐν τύχῃ. Hinc sanè rectę colligitur eos legisse eodem versu, בגד vna dictione. Aquila verò, *venit accinctio*, vt testatur S. Hieronymus quæst. in Genesim, Onkelos, אתא גד, venit turma, siue etiam accinctio; alij duo Thargumim, *venit bona fortuna.* Hinc quoque manifestum est Aquilam & tres Paraphrastas in textu suo legisse non, בגד, sed duas dictiones, בא גד. Quod ad, גד, vtramque significationem amplectitur, vt hoc loco testatur Abenesdra, sed hoc nihil ad rem. Hanc litem dirimant Masorethæ; testantur duplicem esse lectionem. LXX. & S. Hieronymus eam sequuntur quam in textu reliquerũt; Cæteri Interpretes eam quam ad marginem seposuerunt. Vides igitur, Lector, ipsa experientia de Hebræis codicibus id testante, validam esse cõsequentiam ab in-

terpretatione variante ad textus Archetypi variationem. Hæc paucula de multis quæ Maſorethæ adnotarunt, nunc ſufficiant. Si Biblia antiquiſſima nobis ſupereſſent S. Hieronymi ætatem ſuperantia, vt eius ætatis ſuperſunt noui Teſtamenti codices Græci, variarum lectionum ſeges longè amplior ea quam Maſorethæ collegerunt, nobis ſuppeteret. Ipſi enim quæ libuit reſecarunt, quæ libuit adnotarunt, libroſque omnes ſuis non ſimiles vt prophanos condemnarunt. Qua ſententia factũ eſt vt vno aut altero ſeculo omnes libri antiqui ludibrio habiti perirent, Iudæis omnibus certatim ad Maſorethicos vt caſtigatiores concurrentibus, atque ab eorum exmplaribus ſua deſcribentibus. Sed de his aliàs.

Non erit à propoſito noſtro alienum R. Azariæ viri docti rerumque non modo Iudaicarum ſed etiam Chriſtianarum periti argumenrationem huc referre. Sententia ipſius eſt libros ſacros poſt captiuitatem Babylonicam duplices fuiſſe correctos, & incorrectos; correctos in manibus ſanhedrin & ſacerdotum fuiſſe, incorrectos in manibus populi Iudaici & Samaritani. Cuius rei, inquit, ratio fuit quod

libri ſacri in captiuitate Babylonica corrupti fuerunt; eorum autem vnum Eſdras correxit, & in priſtinum ſtatum reſtituit, quem Sanhedrin & Sacerdotibus conſeruandum tradidit, è quo Sacerdotes & populi principes ſuos deſcribebant: reliquos autem libros plebi legendos reliquit, qui poſtea Chaldaicè longè ante Onkelon tranſlati ſunt, eo quod dialectus illa poſt captiuitatem Babylonicam Iudæis eſſet vernacula. Sententiam iſtam retulimus & refutauimus in Exercitationibus noſtris Biblicis Exercit. 8. cap. 4. & 5.

Ille verò pergit, ſcribitque 70. Interpretes plebeios illos libros Græcè vertiſſe, non autem illos correctos & Sacerdotales. Quo verò argumento? id eſt nobis expendendum. Illud afferimus quod ad rem noſtrã facit. Sic ille colligit lib. 1. אמרי בינה, capite 9. אני הנני מביא לך עוד מן הספרים המפורסמים לנצרים ראיה ברורה שהזקנים לא העתיקו מן הנוסח אשר הגיה עזרא בלשון הקדש רק מן הארמי המפורסם אז להמוני הארץ׳ וזה כי הלא שלוחיהם ומבשריהם אשר היו יהודים ובארץ ישראל בזכרם איזה פסוק אין ספק שאמרוהו בלשון הרגיל או אצלם אשר היה ארמי לא בלשון יוני מכח העתקת השבעים לעם יון׳ כי מה להם ולה

אם בחינת המדברים אם בחינת השומעים
מהמה ׳ ואף לדברם בשני מן הפעולות כי
מושיעם חנן את שלוחיו כל לשונות העמים
אשר עדיהם באו הלא מן הדין יודו כי אל
היהודים היו מדברים בלשינם הנהוג לא
בלשון נכר הארץ ׳ ועם כל זה כי תבקש את
פסוקים הנמצאים להם משונים מכתבי
הקדש אשר על נקלה תמצאם בלוח הנדפס
אחרי הביבליאה ועומיית תראה כי השתנותם
בעצם הנו כמו כן בפתרון היוני וזה אם כן לך
האות כי השבעים העתיקו מן הארמית עצמה׃

En ego affero tibi adhuc ex libris publicis Christianorum argumentum euidens quo demonstratur 70. non vertiſſe ex exemplari quod correxit Eſdras in lingua ſancta, ſed tantum ex Chaldaico publicato tunc & vſitato promiſcuæ plebeculæ. Eſt autem iſtud, Cum eorum Apoſtoli & Euangeliſtæ qui Iudæi erãt & in terra Iſraëlis viuebant commemorant aliquem verſum, non eſt dubium quin illum efferant lingua tunc apud eos conſueta, quæ erat Chaldaica, non autem lingua Græca propter verſionem 70. Græcis factam. Quid enim iis & ipſi ſiue conſideres loquentes, ſiue eos qui audiebant. Præterea quod attinet ad id quod dicitur Actorum 2. quod Saluator eorum Apoſtolis ſuis conceßit gratiam intelli-

gendi omnes linguas populorum ad quos proficiſcerentur, ex eo confitentur quod Iudæis loquebantur lingua ipſis vſitata, non autem lingua extranea: Inſuper ſi inquiras in verſus qui differunt à libris ſacris quos facile reperies in indice excuſo poſt Biblia, atque etiam è regione videbis varietatem eorum eandem omnino eſſe quæ deprehenditur in interpretatione Græca. Quòd ſi ita eſt, tibi argumento eſt 70. vertiſſe ex ipsiſsimis Chaldaicis.

Idem poſtea exemplis probat, deinde aliis exemplis Apoſtolorum dialectum fuiſſe Chaldaicam. Sed iſta mittimus cum aliunde ſint notiſſima. Vides eum naturali quodam rationis ductu ex Græco ſiue Latino noui Teſtamenti textu ad originarium textum quem citarunt Apoſtoli argumentum colligere. Eſt autem firmiſſima ipſius ratio. Diſputantes Apoſtoli cum Iudæis non citabant verſionem Græcam. Quid enim Scribis & Phariſæis Hieroſolymis diſputantibus cum verſione 70. Interpretum? depromebant igitur Apoſtoli teſtimonia ſua è libris ſacris apud Iudæos in Iudæa vſitatis. Sed Apoſtolorum teſtimonia aduerſus Iudæos Græcè in nouo Teſtamento allata, eadem omnino ſunt quæ in 70. interpretatione deprehen-

duntur. Ergo libri illi Hebræi è quibus Apoſtoli illa teſtimonia citabant, exhibebant tunc eadem teſtimonia eodem modo quo 70. Interpretum tranſlatio. Firmiſſimum quidem argumentum, ſed multo firmius illud quo ratione ſpecialium quorundam teſtimoniorum vſi ſumus, ſcilicet, Valida argumenta aduerſus Iudæos deſumpſerunt Apoſtoli, vt ex eorum verbis in nouo Teſtamento euidens eſt, nec de hoc Christianis dubitare licet. Sed nunc ex illis locis in Hebræo textu valida deſumi non poſſunt argumenta; Ab illo igitur tempore corruptus eſt illis locis textus Hebræus, & vt in nouo Teſtamento refertur, reſtituendus.

Huic Azariæ argumentationi opponi poſſunt nonnulla loca ab Apoſtolis citata quæ nec cum 70. nec cum Hebræo textu conueniunt. Sed duplex eſt, legitimaque & facilis reſponſio. Prior, loca illa è libris deſumpta eſſe qui non extant amplius, vt non modo fatentur Catholici, ſed etiam hæretici & Iudæi, licet ineptuli noſtri homines ſect. 25. repugnent, Druſioq; & Bezæ hac de cauſa obloquantur: Quod etiam neceſſariò de multis locis eſt aſſerendum, aut ad ineptas & ridiculas, τῶν

δὶς διὰ πασῶν διαφερόντων ſimilitudines, & ταυτότητας confugiendum. Poſterior, mendas ab eo tempore in textum Hebræum iis locis irrepſiſſe, aut in textum Græcum, aut ſi mauis in vtrumque. Sed de his ſigillatim diſſerendi non eſt locus. Antequam dicendi finem faciam, notabit Lector, alterum conſequens, cui ſtabiliendo prius deduxit, nulla niti conſequentia, imò validiſſimè ex ipſius verbis prorſus elidi. Iterum igitur colligit libros de quibus Apoſtoli argumentabãtur, ſacros quidem fuiſſe ſed plebeios & impuros, non ſacerdotales, ne confiteri cogatur in libros ſacros & ſacerdotales mendas irrepſiſſe. Sed huic argumento nec ipſe, nec alius vnquam reſpondebit: Ieſus Chriſtus Dominus noſter, & eius Apoſtoli præſertim in Euangeliis, cum Scribis, Phariſæis, legumque Doctoribus diſputabant. Ergo è libris ſinceris & ſacerdotalibus argumenta ſua promebant, non è plebeiis & corruptis, ſi tales vlli fuerunt. Aliàs Scribarum, Phariſæorum, &c. ora diſputando non obturaſſent, vt tam ſæpe obturarunt, ſed ab iis riſu & cachinnis excepti fuiſſent. Alia prætereo quæ in hanc rem dici poſſunt.

G

Sic igitur licet, & licuit semper omnibus recta ratione vtentibus ex Interpretis translatione de dictionibus quas legit in primigenio textu iudicare; idque probabiliter aut necessariò pro textus & interpretationis circumstantiis. Nec ideo belluæ, canes, & monstra audiunt, nisi forsan vestri similibus asinis & *βαλανοφάγοις* Arcadibus, quibus artes omnes liberales aut risum mouent, aut horrorem incutiunt. Criminis igitur hactenus inauditi nos postulastis, quod scilicet cum 70. verterint, *animæ meæ*, nuncque scriptum sit Hebraicè נפשו *naphso animæ eius*, dixerimus Interpretes נפשי, *naphsi*, legisse in codicibus suis non נפשו *naphso*, jod postea in vau mutato: Quod cum 70. verterint, *dedisti dona hominibus*, nuncque ex Hebræo vertendum sit, *accepisti dona in hominibus*, dixerimus Interpretes, חלקת, *halaktha*, in codicibus legisse non לחקת, lahaktha, litera lamed postea in locum cheth traiecta; aut saltem duplicē lectionē cum viuerent illi Interpretes in codicibus viguisse, quarum vnam amplexi fuerint, &c. Sicque antiquos Interpretes cum textu Hebræo qualis nunc est conciliauerimus. Sed considerate, quæso, quos ha-

beam veſtræ ſectæ homines, vt Maſorethas, alioſque Iudæos omittam, tam horrendi criminis conſcios & participes, vt eorum autoritate repreſſi conuitiari tandem deſinatis. *Quis in his*, inquit Amama loco citato de varietatibus quas Maſorethæ adnotarunt, *non videt fontes variantis lectionis, videlicet, vel literarum transpoſitionem, vel ſimilitudinem ſoni, figurave, vel omiſsionem literæ, vel partis eius? &c.* En Amama, Taylor & Bootius inuenti ſunt, qui non modo hæc non vident, ſed qui videntes vt belluas & monſtra execrantur.

Multas illas variarum lectionum centurias à Maſorethis adnotatas tot errores eſſe, & mendas in Hebræum textum illapſas aſſerunt Iudæi antiquiores & recentiores. Aduerſariorum vanitas, inſcitia, audacia, procacitas.

CAPVT IX.

QVomodo verò conſequētiam iſtam naturali rationis dictamine eductam non lubentes admitterent Iudæi, cum conſequens, videlicet ſacros ſuos libros mendis plurimis aſperſos eſſe, in cuius aſſertione tota difficultas hæret, ma-

gno concursu approbent? Hoc est quod ad antecedentium coronidem hoc capite probandum suscepimus, vt potissimùm Iudæorum confessione veritas illustrior fiat, necnon etiam vt conuitij Aduersariorum effrænis impudentia, eorumq; audacissima ignorantia suppudere si possunt, reprimatur. Ante causæ exordium in ipsa libri nuncupatione ostentant prælia, laboresque suos: Ob præclara certamina, reportatosque triumphos ipsis appendatur in Hæreticorum Olympia, χρύσειος εἰκὼν, καὶ ἰσομέτρητος. Istud nobis curæ non est. Addunt in eadem nuncupatione fortissimi Athletæ: *Nos luctamur cum eiusmodi monstro quale ipsi quoque Iudæi execrentur.* Quid igitur execrentur, paucis videamus, Perditissimi enim isti sycophantæ hoc velut è tripode pronuntiant. Mentiri, calumniari, contumeliam facere ipsis solemne est. Sed causam agere, rationibus confirmare, testium autoritate illustrare, quasi ipsi essent αὐτοκράτορες καὶ ἀπλαυστα στόματα, augustissimæ suæ dignitati parum existimant conuenire. Præfationē meam refellunt, quia se refellere dicunt: Ex sexcentis tamen argumentis vix vnum leuissimè attingunt. Opinionum monstra

mihi affingunt : illis affirmaſſe ſufficit, alios probatio manet. Me execrantur Iudæi. Parum mihi curæ an me an alios Iudæi execrentur. Si de Iudæorum opinione ſermo eſt, Quid Iudæi doceant, quî ſcire poſſunt homines nulla Hebraiſmi ſcientia tincti, in quorum toto libello ne minima quidem Græcæ aut Hebraicæ eruditionis, aut alterius cuiuſlibet artis ſcintillula micat? Iudæorum libri euoluendi erant, eorum ſententia ex ipſorum penetralibus eruenda : ſeges erat non infrugifera. Sed oleum è pumice felicius ſperes, quàm ab iſtis hominibus aliquod Iudaicæ literaturæ ſpecimen. Iudæorum ſententiam hoc capite, Lector, te docere volumus, vt oculis tuis conſpicias quale monſtrum illis haberi hac in cauſa poſſimus. Ex præcedentibus atque hinc erit tibi euidentiſſimum nos in hoc negotio nihil vnquam pronuntiaſſe, quàm quod non modo Catholici omnes aſſerunt, & Hæreticorum in hoc ſcientiæ genere doctiſſimi, ſed etiam Iudæi antiqui fere omnes, & recentiorum pars magna; actoreſque noſtros conſequenter, non nobiſcum, ſed cum laruis & vmbra ſua luctari. At dicam iterum quid Iudæi ſentiant quo-

modo ſcire poſſent deliri iſti, τῶν ἀνεμωλίων βάβακτοι, qui ſuorum ſenſum non capiunt? qui Rabbinorum libros ne pictos quidem conſpexiſſe videntur?

Antequam Iudæorum ſententiæ referantur, Controuerſiæ ſtatus explicandus eſt & definiendus. Innumeræ in textu Hebræo varietates à Maſorethis deprehenſæ & adnotatæ sũt. Quæritur vnde procedãt variæ illæ lectiones: Triplex eſt Iudæorum hac de re ſententia. Prima & vulgatiſſima Iudæis antiquis & recentioribus communiſſima ea eſt quam nos in præfatione noſtra & aliis in ſcriptis ſæpe docuimus. Varias illas lectiones à librorum Biblicorum mendis, corruptelis & perturbationibus fluxiſſe. Quum autem Iudæorum libri multi Maſorethicam criticam antecedant, aliaſque varietates notent quàm quæ à Maſorethis animaduerſæ ſunt, idem de illis varietatibus antiqui illi autores pronuntiarunt, quod de Maſorethicis poſteriores. Quum denique poſt Maſorethas multæ mendæ irrepſerint, de illis Iudæorum nemo qui ad ea mentem aduerterit, à Scribarum deprauatione negat originem duxiſſe. De his iam nonnulla ſcripſimus Exercitat. quarta Samaritana

quæ Lectorem iuuare poterunt. Nunc ea tantùm hac de re trademus quæ ad sententiæ Iudaicæ explicationem ex ipsorum verbis conducunt. Nam non est huius loci materiæ istius tractationem ab ipsa origine arcessere, nec earum varietatum numerum inire, aut paucorum quorundam Iudæorum sententias contrarias refellere.

R. D. Kimhi testimonium primò referam, quia Christianis Grammaticis autor est notissimus; sic censet præfatione Commentar. in priores Prophetas, גם
אכתוב טעם כתוב וקרי וכתוב ולא קרי וקרי
ולא כתוב כאשר אוכל לתת טעם לשניהם
כל אחד ואחד במקומו ונראה כי המלות
האלה נמצאו כן לפי שבגלות ראשונה אבדו
הספרים ונטלטלו והחכמים ידעי התורה מתו
ואנשי כנסת הגדולה שהחזירו התורה לישנה
מצאו מחלוקת בספרים והלכו בהם אחר
הרוב לפי דעתם ובמקום שלא השיגה דעתם
על הבירור כתבו האחד ולא נקדו או כתבו
מבחוץ ולא כתבו מבפנים וכן כתבו בדרך
אחד מבפנים ובדרך אחר מבחוץ. *Scribam etiã rationẽ scripti & lecti, scripti & non lecti, lecti quoq; & nõ scripti, ut sigillatim utriusq; rationem reddere potero propriis in locis. Videtur autem mihi quod dictiones istæ sic repertæ*

sunt, eo quod in captiuitate priore perditi sunt libri & confusi: Sapientes quoque legis periti mortui sunt; viri verò Synagogæ magnæ qui legem nobis in pristinum statum restituerunt, inuenerunt differentias in libris, & secuti sunt multitudiuem vt expedire iudicauerunt. In locis verò quorum claram cognitionem assecuti non sunt, vnum scripserunt in textu, & & non punctauerunt; aut ad marginem & textui non inseruerunt, sicque alia ratione freti harum dictionum quasdam textui inscripserunt, alia verò margini.

Similia quoque adnotat in 1. Reg. c. 17. v. 15. quæ hîc inserta præcedentibus lucem afferẽt: כתוב בנון כמו שם לתתן ונקרא תת ושניהם נכונים וכבר כתבנו דעתינו בכתוב וקרי כי בגלות נשתבשו הנסחאות והיו מוציאין בנסחא אחת כך ובנסחא אחרת כך ולא עמדו על בירור וכתבו האחר מבפנים והאחרת מבחוץ. *Scripta est dictio* תתן *cum nun veluti esset* לתתן *nomen. Et legitur* תת *sine nun, vtrumque rectum est. Iam autem sententiam nostrã scripsimus de variis lectionibus: Quod scilicet in captiuitate deprauata fuerint exemplaria, deprehensumq; fuerit in vno sic, & in alio sic, nec constitit ipsis harum variarum lectionum elucidatio, atque ideo*

ſcripſerunt vnum in textu, & alterum in margine. Idem præterea non minus euidenter docet Kimhi in 2. Sam. c. 15. v. 21. Vide præterea eundem in cap. 21. Ioſu. v. 7. vbi duos verſus ab antiquis libris abeſſe ſcribit, & quæ hac de cauſa commentatur. Ea nos retulimus, & Latinè reddidimus c. 9. Exercit. 4. Samaritanæ. Præterea duos illos verſus in decem antiquis manuſcriptis inquiſiuimus, & quid inquiſitione facta retulerimus, ibidem adnotamus.

R. Ephodæus non tantum Grammaticus, ſed etiam Philoſophus qui librum More Nebuchim commentatus eſt, ſic Grammaticæ ſuæ cap. 7. de hac quæſtione diſſerit, השלם ראש הסופרים עזרא הכהן הסופר נער הצנו ושם כל מאמצי כחו לתקן המעוות וכן עשו כל הסופרים הבאים אחריו ותקנו הספרים ההם בתכלית מה שאיפשר עד שהיה זה סבה להשאירה שלמים במנות הפרשיות. והפסוקים והתיבות והאותיות והמלא והחסר והזר והנוהג מנהג הלשון וזולת זה ולזה נקראו סופרים ועשו בזה חבורים והם ספרי המסורה ובמקומות אשר השיגם ההפסד והבלבול עשו הקרי וכתיב להיותו מסופק במה שמצא. *Perfectus Scribarum Princeps Eſdras Sacerdos & Scriba*

excußit lacertos ſuos, adhibuitque omne robur virtutis ſuæ, vt dirigeret peruerſa & contorta. Idemque fecerunt omnes Scribæ qui eum ſecuti ſunt, libroſque illos quantum poßibile fuit, perfectè correxerunt, donec illos nobis relinquerent perfectos per enumerationem Paraſcharum, verſuum, dictionum, literarum, & vocum plenarum, defectiuarum, extranearum, & linguæ genio conuenientium, &c. Et ideo Scribæ vocati ſunt compoſueruntque de his libros, qui libri Maſoræ vocantur. In locis autem quos corruptio & perturbatio inuaſerant, poſuerunt varias lectiones, eo quod dubium erat id quod reperiebatur.

Vno teſtimonio teſtes duos apud Iudæos inſignes exhibebimus. Ioſeph Karo commentario in Arbah Turim, in ſecundum ordinem qui dicitur יורה דעה, ad numerum 275. hæc verba ex Reſponſionibus Riſbæ, ſiue Salomonis Ben Adrat in ſuæ ſententiæ confirmationem & illuſtrationem refert, וכתב עוד בתשובת שאלה שנמצא בספרים כלות משה שלם ורבותינו אמרו דכלת כתיב · תשובה רע כי כמו שנחלקו בן אשר ובן נפתלי בכמ׳ מקומות מצאתי שנחלקו במלות חלוקות מערבאי ומדנחאי שבן אמרו בגמ׳ פילגשה

כתיב ובספרינו כתוב מלא וכן בהרבה מקומות׃ עוד תדע שבכל מקום שאנו מוצאים מחלוק׳ בספרים אמרו במס׳ שהולכים אחרי הרוב עכ״ל · *Scribit adhuc in responsione quæstionis, qua quæritur cur inuenitur in libris eorum* כלות משה, *cum Magistri nostri dicant* כלת *scriptum esse. Responsio, scito quoniam sicut differunt & contendunt Ben Aser & Ben Nephtali aliquot in locis, sic inueni quod differunt & contendunt de dictionibus differētibus Occidentales & Orientales. Sic quoque dicitur in Ghemara* פלגשה *scribendum, sed in libris nostris plenè scribitur, & sic multis alijs in locis. Iterum scies quod omnibus in locis quibus inueniuntur differentiæ in libris dicitur in tractatu Scribarū quod sequenda est librorum multitudo.* Locus in quo dictio כלות de qua agitur, deprehenditur est Numer. cap. 7. v. 1. ad quam Masora notat ל׳ ומל׳ וכל ליש׳ מל׳ במ״א חס׳ בכלת השטרים hoc est, *non extat amplius & plena est. & omnis ista significatio plenè scribitur præter vnum deficiens Deut. 20. 9.* Notat igitur Masora contra Talmud plenam esse dictionem illam. Asserit Masora non ampliùs reperiri. At illam eandem vocem כלות in infinitiuo reperies Ruth. 2.

23. & 2. Paralip. 29. 34. forsan de lege id intelligit. Sed hoc mera est cōjectura propter errorem manifestum ficta, cum nihil eiusmodi innuat Masora. Verum dimissa Masora notabit Lector celebres istos Rabbinos vt rem exploratam docere varietates dictionum in sacro suo textu & nunc & olim extitisse; atque in earum correctione & antiquos Rabbinos librorum multitudinem esse secutos, & in pari casu sequendam.

R. Iacob in libro celebri qui vocatur בית ישראל, ad tractatum Talmudicum Hauoda Zara f. 158. col. 3. commentatur ea verba Mischnæ eiusdem tractatus c. 2. n. 6. quibus Ismaël Akibam percontatur quomodo legat Cant 1. 2. כי טובים דדיך מיין, Respondet verò Akiba כִּי טוֹבִים דַּדַיִךְ מִיָּיִן *Quoniam meliora sunt vbera tua vino.* Sed respondet Ismaël rem ita se non habere, & ex textu manifestum esse legendum דֹּדֶיךָ, *amores tui*, vt etiam punctarunt Masorethæ. Non erit inutile verba textus referre vt intelligat Lector nullas Talmudistis punctorum notas fuisse; Si enim illis præsto fuissent, illas sane tum vsurpassent, aut nunquam, אמר לו ישמעאל אחי היאך אתה קורא כי טובים דדיך מיין אמר לו כי

טובים דדיך מיין אמר לו אין הדבר כן שהרי חבירו מוכיח עליו לריח שמניך טובים. Plurima paſſim apud Talmudiſtas, & S. Hieronymum occurrunt eiuſmodi. Sed ad R. Iacob redeamus.

Commentans igitur hunc locum obiicit ſibi, quomodo errare potuit R. Akiba in huius dictionis lectione quam pueri non ignorant? Reſpondet primò, libros tum punctatos non fuiſſe, & ideo nihil mirum ſi vir tam inſignis legendo hallucinatus fuerit. In huius rei confirmationem exemplum vulgo notum affert præceptoris Ioab qui זֵכֶר pro זָכָר legebat. Poſthæc hanc ſolutionem ſubjicit, אף אם הספרים שלהם היו נקורים אינו קשה אי טעי רבי עקיבא בקריאת אותו פסוק שהרי איפשר שהיה מחלוקת בזאת המלה בספריהם כמו שיש היום בהרבה מלות בין מערבאי למדינחאי ובין בן אשר ובן נפתלי והלא בחלוף התיבות היה מחלוקת בספרים והיה ספק לחכמים והוצרכו ללכת אחר הרוב כמו ששנינו במסכת סופרים. *Sed hoc etiam concesso, libros eorum fuiſſe punctatos, difficultatem non habet ſi errauerit R. Akiba in lectione iſtius verſus. Quia poſſibile fuit quod varietas fuerit in iſta dictione in libris eorum,*

ſicut hodie reperitur in multis dictionibus inter Occidentales & Orientales, & inter Ben Aſer, & Ben Nephtali. Numquid in dictionũ mutatione differentiæ non fuerũt in libris, & ideo ſapientibus orta ſunt dubia adeo dijudicatu difficilia, vt neceſſe habuerint librorum multitudinem ſequi, vt explicatur in tractatu Scribarum?

Ghedalias Catenę Cabbaliſticæ fol. 37. p. 2. ſuam & duorum inſignium & antiquorum Rabbinorum ſententiam prodit. Refert ſe legiſſe in deciſionibus de mactatione, & animalis mactati inſpectione, ciues Alkiroæ in Barbaria Mar Tſemach Gheonem Academiæ Soranæ conſuluiſſe de quibuſdam capitibus quæ mactationem illam ſpectabant; Conſilij autem rationem fuiſſe quod ciues Alkiroenſes incidiſſent in librum quendam R. Aldad de tribu Dan in quo multa de hac re præcipiebantur, à reliquorum Iudęorum conſuetudine diuerſa. Alkiroenſibus reſpondet Mar Tſemach primùm ſe accepiſſe à Gheone R. Iſaac viſum iſtum Aldad Babylone annum circiter 4640. Chriſti 880. & verba eius admirationi fuiſſe, eo quod partim ſimilia erant verbis ſapientum, partim diſſimilia: deinde in deciſio-

nibus illis ſic Mar Tſemach reſpondens inducitur, ואל תתמהו על השנוי וחלוף ששמעתם בדבריו שהרי חכמי בבל וחכמי ארץ ישראל שונין משנה א׳ ויש שנוי בתלמידם ואפילו במקראות כנראה בהסרות ויתרות פתוחות וסתומות ובמסורת וחתוך הפסוקים וכל שכן במשנה שהיה סתומה ועמוקה וכו׳. *Nolite mirari differentias & varietates quas in verbis eius audiuiſtis. Quia etiam Sapientes Babel, & Sapientes terræ Iſraëlis variant in explicatione Miſchnæ, ſuntque diſſenſiones inter diſcipulos eorum: quod etiam contingit in textu ſcripturæ, vt videre eſt in dictionibus defectiuis & abundantibus, ſectionibus apertis & clauſis, & in obſeruationibus Maſorethicis, atque in ſectione verſuum. Multò ſanè magis in Miſchna cuius ſenſus obſcurus eſt, & profundus, &c.* Vides inſignes Rabbinos, deciſionum illarum autorem, Mar Tſemach Soranæ Academiæ in Babylonia Præfectum qui anno Chriſti 960. viuebat, & Ghedaliam hiſtoricum apud eos celebrem, hoc principio & fundamento niti, Varietates in textum ſacrum & in vniuerſas illius diſtinctiones irrepſiſſe; atque hoc principio vt notiſſimo & ab omnibus conceſſo fretos librorum alio-

rum & traditionum varietates excusare.

Hæc de recentioribus Iudæis, quibus si cupis addere potes autorẽ celeberrimum libri Cozri qui huiusmodi textus sacri varietates, ait tam multas esse vt illas numerare non possit. Hoc testimonium retulimus Exercitatione nostra Samaritana, initio cap. 9. vnde illud arcessere potes. Primum testimonium quod ex Kimhio retulimus à multis notatum legi, & à quibusdam Latinè reddi, sed nonnullis in locis perperam. Illud etiam indicat Amama, sicut & testimonium ex Ephodæo apud R. Iacob Chijam præfatione in Biblia Veneta. Primum etiam ex Kimhi hinc indicauit: vtrumque enim refert Ephodæus eodem loco & continuò, vt & Elias Leuita tertia præfatione in librum Masoreth Hammasoreth. Hebræum adhuc autorem vnum indicat Amama, Abenesdram scilicet in Exod. c. 21. v. 8. Sed in hanc rem eo loco nihil prorsus habet Abenesdra. Ex libris eius Grammaticis multa collegimus in hanc sententiam, sicut & ex aliis Rabbinis. Verùm proposito nostro qui ista hîc tãtùm obiter tractamus multò plus quàm par erat, satisfecimus: Aliàs erit pluribus de his dicendi locus. Insuper tamen idem

duplici

duplici antiquissimorum librorum testimonio demonstrabimus.

Eadem autores qui Masorethas præcesserunt de varietatibus suo tempore deprehensis pronuntiarunt quæ ij qui Masorethas subsecuti sunt de mendis quas illi adnotauerant, deque illis quæ post illorũ crisin irrepserunt. Huius rei fidem facit Talmud Hierosolymitanum quod Babylonico longè antiquius est; tractatus Thaanioth, siue Ieiuniorum c. 4. Sidræ מועד fol. 68. col. 1. rem sic explicat שלשה ספרים מצאו בעזרא ספר מעוני וספר זעטוטי וספר היא · באחד מצאו כתוב מעון אלהי קדם ובשנים כתוב מענה אלהי קדם · וקיימו שנים וביטלו אחד · באחד מצאו כתוב וישלח את זעטוטי בני ישראל ובשנים כתוב וישלח את נערי בני ישראל וקיימו שנים וביטלו אחד · באחד מצאו כתוב תשע היא ובשנים כתוב אחת עשרה היא וקיימו שנים וביטלו אחד · *Libros tres inuenerunt apud Esdram, vnus habebat* מעוני, *alter* זעטוטי, *tertius* היא. *In vno deprehenderunt scriptum* מעון *&c. Deut. 37. 27. in duobus verò scriptum* מענה *&c. Duos ratos habuerant, quod verò erat in vnico scriptum expunxerunt. In vno deprehenderunt scriptum, & misit* זעטוטי *mini-*

mos filiorum Israel, Exod. 24. 5. in duobus verò scriptum, & misit Iuuenes נערי *filiorum Israel. Ideo duos ratos habuerunt, quod autem erat in vnico scriptum expunxerunt. In vno deprehenderunt scriptum,* תשע היא, *nouem illa, Genes. 32. 22. in duobus verò, vndecim illa,* אחת עשרה היא. *Ideo ratos habuerunt duos, & quod erat in vnico scriptum expunxerunt.*

Eadem narratio iisdem verbis refertur in tractatu Sophrim siue Scribarum cap. 6. qui locus sæpius supra à Rabbinis citatus est ועטוטי tantùm in illo tractatu scribitur per Aleph loco Ain: potior differentia est in tertia lectione; nam in tractatu non legitur תשע היא, verùm, אחד עשר הוא. Quolibet tamen modo legas, siue vt Talmud, siue vt tractatus ille; siue vt vnus liber, siue vt duo, cum textu neoterico Iudæorum ista non conueniunt. Sed hoc non semel deprehendes loca scripturæ à Talmudistis longè aliter referri quàm nunc in textu Hebræo legantur, de qua varietate non est huius loci verba facere. Cum igitur eadem vtrobique sit res, eadem verba & in Talmude Hierosolymitano & in illo tractatu, vna & eadem opera vterque textus est exhibitus. Antiquissima

est igitur Iudæorum doctrina & traditio sacros suos libros sæpius mendas, varietates, & perturbationes passos, & in iis corrigendis librorum consentientium multitudinẽ eos esse secutos; vbi verò dubia res fuit, & anceps, vt non facile quænam lectio esset eligenda definire possent, vtramque lectionem adscripsisse, vnam textui alteram margini. Hoc etiam nunc in eorum Bibliis factum videmus non modo in iis lectionibus quas Masorethæ adnotarunt, sed etiam in plerisque quibus Iudæi Orientales ab Occidentalibus differunt, aut quas Neoterici Rabbini recens ex variorum codicum comparatione obseruarunt. Vides, Lector, quo iure Blaterones isti me monstrum Iudæis execrandum scripserint, eo quod in eorum textum mendas irrepsisse asseruerim. Rectè Thucydides ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει; nihil est enim stupidis hominibus & ignaris inuerecundius & procacius. Quid illi de Iudæorum placitis statuunt, quibus Iudæorum libri tenebræ sunt plusquam cimmeriæ, Ἤεσι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι?

Duæ aliæ Iudæorum opiniones de his varijs lectionibus breuiter enarrantur & refelluntur, breuiterque hinc demonstratur Hebræum textum corrigendarum versionum antiquarum regulam adæquatam esse non posse.

CAPVT X.

VVlgatissimam istam Iudæorum antiquorum & recentiorum de textus Hebræi mendis & corruptelis sententiam pauci recentiores in hanc rem animum aduertentes deseruerunt, & refellere conati sunt Illi autem bifariam diuisi sunt. Secunda igitur sententia est Abarbinelis quam explicat in procemio Commentariorum in Ieremiam; Est autem adeo impia vt eam Iudæorum nemo, quod hactenus sciam, amplectatur. Attribuit enim lectionis illas varietates Prophetarum barbariei, & linguæ Hebraicæ ignorationi. Licet varietatum istarum nonnullæ hac impietate excusari possint, earum tamen maxima pars ad barbariem & solœcismos pertinere non potest. Horrenda est istius Rabbini vel stultitia, vel insania, qui mauult Prophetas barbarismorum &

ſolœciſmorum accuſare, quàm Amanuenſes imperitiæ, παραγραμμάτων, καὶ παροραμάτων.

Tertia ſententia eſt Eliæ Leuitæ in tertia præfatione ſuper Maſoreth hammaſoreth, & R. Iacob Chijam Maſoræ inſtauratoris in præfatione ad Biblia Veneta, quam recentiſſimi Iudæi admodum amant. Exiſtimant illi hæc omnia traditiones eſſe, aut Moſis è monte Sinai, aut aliorum Prophetarum qui librorum ſacrorum autores fuerunt: Moſen ſcilicet & Prophetas dupliciter ſcripſiſſe, vno modo in textu, altero in margine, atque ex duplici illa ſcriptione ortas eſſe illas varietates. Qui primam ſententiam non admiſerit, iſtarum duarum alterutram neceſſe eſt admittat. Res eſt enim facti de qua apud omnes conſtat, ad quam periclitandam oculis tantum opus eſt, & mediocri linguæ Hebraicæ cognitione. Quamplurimæ ſunt varietates à Maſorethis adnotatæ, eas prætereo quæ in antiquis libris reperiuntur, quas omiſerunt. Aut proceſſerunt varietates illæ à mendis quas Scribarum præceps manus commiſit, aut duobus modis ſcripſerunt Prophetæ. Nihil tertium dici, fingive poteſt, niſi forſan

Abarbinelis impietas, sed ea mendarum maximæ parti non satisfacit. Itaque semque de reliquis mendis quæ maximo supersunt numero quæstio vertetur, vnde originem ducant an à Scribarum præpostera scriptione, an Prophetarum duplicata. Eôdem recidet si Iudæos malignæ deprauationis reos agas: hoc enim tantùm probabiliter coniicietur de paucis quibusdam locis; de cæteris vigebit integra quæstio. Quapropter quicunque omnibus his in locis textus corruptelam fateri refugit, omnino necesse est vt vtramque lectionem à Spiritu sancto propter magna aliqua mysteria procedere fateatur.

Istius sententiæ absurditatem aduersus Christianos demonstrare supersedeo: Absurditas enim illa notior mihi videtur quàm quæ argumentis egeat vt explodatur, & exsibiletur. Neque etiam multis aduersus duos illos Iudæos agã; Cum nec propositum nostrũ, nec operis breuitas id patiantur. Hoc vnum vtrisque opponam; Si textui sacro periculum aliquod creatur ex eo quod varietates illæ mendis postmodum subortis tribuantur, quidni æquale periculum creabitur ex varietatibus

lectionum quas illi ipsi duo Rabbini notant deprehendi in codicibus Orientalium & Occidentalium, & quarum catalogum Bibliis Venetis attexuit R. Iacob? Varietates enim illæ punctorum non sunt, sed literarum & dictionum integrarum, vt notat Elias Leuita, & in ipso catalogo videre est. Quid? oportuitne Mosen & Prophetas mysterij causa vno modo scripsisse propter Orientales Iudæos, & alio modo propter Occidentales?

Pluribus argumentis eiusmodi constringi possunt, præsertim Iacob Chijam. Præter enim varietates illas Orientalium ab Occidentalibus Iudæis sæpius in interioribus marginibus Bibliorum Venetorum adnotat codices antiquos manuscriptos & correctos aliter scribere & legere quàm Masorethicus textus', cuius rei exempla duodecim è sola Genesi in Exercitationes nostras Samaritanas retulimus. Multa alia passim ipse in aliis libris adnotauit. Deinde in dispositione Masoræ nonnunquam adnotat aliter Masoræ libros omnes textum sacrum legere quam nunc libri sacri repræsentant: Et non modo hoc, sed Masorethas disertè admonere sic hoc versu legendum, aliasque

dictiones nunc in omnibus libris deprehendi. Quod igitur post Masorethas in libris Iudaicis ipso fatente & admonente factum est, ante Masorethas quidni fieri potuit? Hæc de secunda & tertia Iudæorum sententia dicta sunto. Hinc manifestum est aut nobiscum hac de re esse sentiendum, hoc est, cum omnibus Catholicis, cum Hæreticorum posteriorum doctissimis, & cum Iudæorum antiquorum & recentiorum maxima parte; aut necessariò cum Abarbinele impium esse; aut denique cum nonnullis aliis Iudæis mysticè ridiculum.

Antiquiores huius temporis hæretici libros Iudaicos ab omni labe immunes esse crediderunt, stultæ istius sententiæ causa fuit vnica, insana versiones antiquas carpendi libido; vt iis neglectis nouas conderent, quibus hæreses suas faciliùs stabilirent, & Ecclesia Catholica ludibrio haberetur, quæ tot annorum centuriis, ab ipsis Apostolis ad eos vsque puro Dei verbo caruerit. Sed difficultatem à varietatibus Masorethicis orientem ignorauerunt. Erat enim illis prorsus incognita Masorethica Critica, nec illius quidem vmbram viderant. Verùm cum ista

Criticæ pars posterioribus hæreticis innotuisset eorum sententiam bifariàm diuisit. Qui enim in his rebus doctissimi fuerunt, sententiam veram, vt iam demonstrauimus, amplexi sunt; alij stolidam & ridiculam illam paucorum Iudæorum, seu potius fanaticam veræ & sanæ prætulerunt. Validas aduersus eos rationes affert Sixtinus Amama in dissertatione de Keri Vketib, quem si vis consule, quanquam opinio ista phrenesis magis dici debeat, quàm sani cerebri sententia, vt vel ex solis rationibus quas aduersus Eliam Leuitam & R. Iacob iam attulimus. Non tamen sine ratione in phrenesin istam abrepti sunt. Nam concesso hoc principio antiquas versiones ad Hebræum textum velut ad Lydium lapidem esse exigendas, necessariò consequitur textum illum omnis mendæ & labis esse purum. Dato enim varietates illas Masorethicas mendas esse textus, & Scribarum παραγράμματα, non sancti Spiritus dictamina, cum dissidet versio ab Originario textu, quo argumento demonstrabit versionis castigator eo loco Interpretem errasse, mendam autem non irrepsisse? In mille alios locos irrepserunt mendæ, quidni &

in hunc? sed de isto argumento hoc loco satis.

Qua ratione ex nonnullis testimoniis quæ de veteri Testamento referunt Apostoli necessariò colligitur mendas in textum Hebræum irrepsisse. Aduersariorum vrinum μάντευμα, insanum conuitiandi cacoethes.

CAPVT XI.

TErtium & postremum genus differentiarum inter textum Hebræum & Græcum quas in præfatione illa explicauimus eas spectat, quæ in textum Hebræum mendas irrepsisse necessariò demonstrant. Eæ sunt quæ argumentationis Apostolicæ vim vel penitus euertunt, vel nonnihil luxant, vel ab Apostolicis verbis separatim sumpta sensu commodo destituuntur. Cum igitur indicauimus textum Hebræum cum Christi aut Apostoli ratiocinatione consistere non posse, aut eam plurimùm debilitare, vel nullum commodum sensum habere, atque insuper cum 70 Interpretum translatione non conuenire, tum liberiùs pronuntiauimus eo in loco textum Hebræum esse corruptum.

Quis adeò perfrictæ frontis eſt vt hoc negare poſſit? In Iudæos Iudæorumque Doctores diſputant Chriſtus & Apoſtoli, citantque ad ſuæ ſententiæ confirmationem Prophetarum teſtimonia. Ea ſanè aduerſus Iudæos citauerunt vt in Hebræis codicibus legebantur, alioquin in argumento nullum fuiſſet robur. Quid enim facilius Iudæo quàm excipere, ita quidem LXX verterunt, ſed aberrauerunt? Quid Moſes & Prophetæ ſcripſerint, attendendum. Tantùm abeſt, vt argumenta de textu Græco petita vim aliquam habuiſſent, vt potiùs ludibrio fuiſſent niſi idem argumenti robur ex textu Hebræo collectum fuiſſet. Quid verò de iis argumentis dicendum quæ Ieroſolymis & in Iudæa aduerſus Scribas & Phariſæos à Chriſto & Apoſtolis facta ſunt, vt ſunt Euangeliſtarum omnia, & Actuum Apoſtolorum nonnulla? Num Chriſtus & Apoſtoli ex LXX Interpretum textu Hieroſolymis argumentabantur.

Hanc argumentationis vim, quæ ſanè genuina eſt, & nullo fuco ſubornata, confeſſus eſt, ſuæque diſputationi ſuppoſuit R. Azarias, vt capite nono relatum eſt. Eandem confirmat, ſed verbis energicis

Iunius Biturix quidem, sed in Academia Leidensi famosus Caluinianæ Theologiæ Professor Parallelorum l. 1. vbi de loco citato Act. 13. disputat, in hæc verba, *Et postea annis quasi quadringentis quinquaginta dedit Iudices Deus, &c.* vbi eorum sententiam refellit qui hanc supputationem non approbantes aiunt S. Paulum 70 Interpretum editioni sese conformasse. *Mihi non videtur verisimile Paulum hoc in loco agere de hoc argumento ex 70. Interpretum autoritate duabus de causis. Vna est, quod ineptum illud fuisset futurum, si Paulus ingressus Iudæorum Synagogam die Sabbati, post lectionem legis & Prophetarum apud Hebræos dicere voluisset de rebus ad fidem pertinentibus secundum 70. Interpretationem, non autem secundum Hebræi textus fidem: qua quidem ratione magis de fide Christi, & autoritate Euangelij fuisset derogaturus, quàm conciliaturus gratiam.* Alia causa ad rem nostram non facit. Idem scribit Paralellorum l. 3. vbi de loco citato cap. 10. Epist. ad Hebræos, cuius conciliationem ex 70 Interpretum textu refellit, *Sed hanc defensionis viam ego quidem non possum insistere: illud pro certo habens si omnino aliena esset interpretatio, non fuisse hunc autorem nostrum*

eam in argumento tam graui secuturum, & multò minus propterea secuturum, quod non cum Græcis aut alijs exteris, sed cum Hebræis instituisset agere, apud quos inanis fuisset futura Græcæ illius interpretationis à Septuaginta prolatio. Certissima proculdubio propositio, cuius contraria, verbo absit inuidia, planè videtur stulta & ridicula, præsertim cum Græca Interpretatio ab Hebræo textu differt. Numquid ridiculum est aliquem aduersus Iudæos de fide in Iudæa contendentem ex Græca Interpretatione argumentum vrgere, quod iuxta Hebræum textum, aut planè nullum est, aut debilissimum.

Nunc autem multis in locis manifestum est argumenta Christi & Apostolorum ii iuxta Hebræum textum vt nunc legitur, examinentur, nulla planè vi pollere, aut admodum debili; si verò iuxta Græcum textum, & 70. & noui Testamenti maximam & integram conseruare. Quis, modò Christianus, dubitabit hac in causa corruptelam irrepsisse in locum textus Hebræi citatum, & aliter ibidem non modo LXX Interpretes, sed etiam Christum, & Apostolos legisse quàm nunc Iudæi illum nobis repræsentent? Exemplis res fiet

illuſtrior, quanquam naturali ratione ſola duce ſatis eluceat. Act. 2. S. Petrus, & Act. 13. S. Paulus reſurrectionem Chriſti aduerſus Iudæos probant ex Pſal. 15. verſu quo dicitur *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Vrgent Apoſtoli potiſſimùm, hæc verba. Ait Petrus hoc Dauidi competere non poſſe quia derelictus eſt in ſepulchro; ſepulchrum enim eius huc vſque inquiunt apud nos oſtenditur, & conſequenter non ſecus ac cæteri homines corruptionem paſſus eſt. Et Paulus, *Dauid, &c. dormiuit & appoſitus eſt ad Patres ſuos, & vidit corruptionem. Quem verò Deus ſuſcitauit à mortuis, non vidit corruptionem.* Lege nunc textum Hebræum elumbe prorſus eſt, imò irritum Apoſtolorum argumentum. Sic nunc ſcribitur לא תתן הסידיך לראות שחת, *Non dabis ſanctos tuos videre foueam.* Num vides argumentum Apoſtolicum prorſus cadere triplici ratione? Prima, quia in textu Hebręo corruptionis, cui dictioni potiſſimum incumbunt Apoſtoli, nulla fit mentio. 2. Quia textus vt ſcribitur, nec de Dauid, nec de Chriſto peculiariter intelligi poteſt, ſed de omnibus Sanctis in vniuerſum. Denique theſim

Apostolicæ contrariam euidenter probat : foueam enim Christus vidit, & in ea tribus diebus quieuit.

Duplicem obiectionem fieri posse video. Prior שחת corruptionem significare posse, cum deduci possit à radice שחת quæ centies cum deriuatis in Scriptura corrumpere significat. In promptu est & peremptoria duplex responsio. Prior, hoc concesso si non sit irritum argumentum, prorsus est elumbe. Statim enim regerere potuit Iudæus שחת non corruptionem, sed foueam significare,&obijcere istud Psal 7. *incidit in foueam quam fecit*, & Psal. 93. 13. *donec fodiatur peccatori fouea*. Et Ezech. 19. 4. Itaque nihil eo loco probari. Posterior priorem confirmat : nam שחת semper foueam significat, nusquam corruptionem. Cur igitur hoc loco corruptionem : Locus vel vnus afferatur vbi שחת corruptionem significet. Ideo Kimhi שחת deriuat non à שחת *corrupit*, sed à שוח quod humiliationem significat & depressionem. Vides igitur testimonium istud quod Apostoli adeo vrgent vt nullum acrius vrserint, si legatur vt nunc in textu Iudaico scribitur, non modo ad rem non facere, sed sententiam Apostolicæ oppositam conficere.

Obiectio secunda alteram dictionem spectat הסידיך dicetur enim Iod postremum à Masorethis nec legi nec punctari. Fateor, sed tamen sic in textu scribitur pluraliter *Sancti tui*, si textum ducem sequaris sic te oportet necessario interpretari. Si verò Masorethas duces, redundat jod illud. Concesso igitur nihil esse in textu mutatum, ij quibuscum Apostoli disputabant, quibus proculdubio critica Masorethica erat ignota, falsi eos accusare potuerunt, quod singulari numero efferebant dictionem quæ pluraliter in textu efferebatur. Manifestum est igitur locum istum quem tantopere vrgent Apostoli iuxta Iudæos lectum eorum causæ obesse magis quàm prodesse. Quid igitur impij aut scelerati commisit ille qui corruptum esse dixit & antiquæ puritati restituere tentauit?

S. Paulus Epistolæ ad Hebræos cap. 7. multum sermonem habet de Melchisedeci sacerdotio, atque ex Psalmo 110. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedek*, probat Iesum Christum Dominum nostrum Sacerdotem fuisse secundum ordinem Melchisedek Aaronitico sacerdotio longè sublimiorem. Verùm textum

textum Hebræum si sequaris mordicùs, ratiocinatio hæc tota peruertitur; scribitùr enim,& à Masorethis in textu punctatùm est, דִבְרָתִי *ordinem meum.* Itaque hic sensus efficitur, *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem meum Melchisedec.* Quasi verba illa de Melchisedeco intelligerentur. Corruptela autem illa vnius literulæ jod additione contingit. Quid à Masorethis ita punctatum esse dico? Euidenter affirmant דִבְרָתִי esse legendum & *secundum ordinem meum* explicandum. Comparant enim istam dictionem cum eadem Iob.5.8. repetita in qua jod est primæ personæ affixum: scribunt enim bis reperiri & loca enumerantur Iob.5.8. in Masora magna textuali, scilicet Iob 5. & Ps. 110. Deinde Masorethæ huic dictioni apposuerunt accentum Rebiah qui pausat & virgulæ loco est. Itaque ex eorum sententia ibi tantisper pausandum, nec est ista dictio cum sequente immediatè iungenda. Verùm quidem est nonnullos Iudæos ita illam dictionem interpretari quasi jod non adesset, & R. Salomonem scribere illam abundare. Sed aliud est nihil periculi ab Aduersario timentem commentari locum aliquem, aliud illum cum Aduersario con-

tendente examinare. Quidquid ſit certum eſt ſi textui vt nunc ſcribitur peruicaciter inhęreas, vt contendentium mos eſt, argumentationem Apoſtolicam funditus euerti. Iudica, Lector, an crimen atrox commiſit qui tanto fundamento nixus ſcripſit literam illam eſſe irreptitiam, cum Beza, Robertus Stephanus, Camerarius, Piſcator, aliique Hæretici variis Græcis codicibus inſtructi variarum Lectionum in nouo Teſtamento myriadas, quarum plurimæ non literas tantùm, non dictiones, ſed hemiſtichia, ſed verſus integros ſpectant, adnotarint.

His addam exemplum aliud quo ſola fere punctationis mutatione non modo ſenſus plurimùm obſcuratur, ſed etiam dictio magni momenti in ratiocinatione Domini noſtri Ieſu Chriſti eliditur. Cap. 15. Matthæi Chriſtus arguit Phariſæos quod mandata Dei traditionibus ſuis irrita faciant. Idem facit Marci 7. Increpationem autem ſuam confirmat Iſaiæ c. 29. v. 13. *In vanum colunt me docentes doctrinas & præcepta hominum*. Manifeſtum eſt argumenti vim potiſſimum niti his dictionibus, *in vanum*, aut vt vertitur apud Matthæum *ſine cauſa*, *μάτην*. Tolle enim illas à verſu, tum

debile eſt argumentum, & fere nullum, vt cuique legenti planum eſt. Ideo vterque Euangeliſta iſtam dictionem retinuit. Sed à textu Hebræo vt nunc legitur abeſt dictio, quæ *μάτlw*, ſiue *in vanum* ſignificet. Præterea ita punctatur tota pericope, vt nullus videatur ſenſus, ſic enim textus legitur, וַתְּהִי יִרְאָתָם אֹתִי מִצְוַת אֲנָשִׁים מְלֻמָּדָה, *Et erit timor eorum me, præceptum hominum edoctum.* Si verò pronunties aliter, iodque in vau mutes hoc modo וְתֹהוּ יְרֵאתֶם אֹתִי מִצְוַת אֲנָשִׁים מְלַמְּדָה hic erit ſenſus, *Et in vanum timuiſtis me mandatis hominum & doctrina.* cui conſentiunt verba Chriſti & omnis iſtius loci argumentatio: timere enim, vt notum eſt, colere ſignificat.

Sed duplex nobis fit obiectio, primùm, Barbariſmi nos Cenſor quidam accuſat, qui reſtituimus ותהו יראתם אתי, *in vanum timuiſtis me*. In barbariſmum incidiſſe non ſanè credebamus, qui prorſus eandem phraſim eodem capite ſciebamus Iſaiam bis vſurpaſſe. Iſaiæ c. 45. v. 18. de terra dicitur, *Ipſe plaſtes eius, non in vanum creauit eam*, Lector, quomodo putas Iſaiam Hebraicè poſteriorem pericopen efferre? לא תהו בראה, & hæc verba verſu ſequente, *fruſtra quærite me* תהו בקשוני

An ouum ouo, lac lacti similius? vtrobique nomen תהו aduerbiascit, & verbum præcedit, significatque *frustra.* Quid magis αὐτόπατι fingi potest? Sed ita sit, Barbarus fuerim Grammaticis Hebræis, linguæ Hebraicæ imperitus, barbarè restituerim: id non quæritur, linguæ Hebraicè peritus eleganter restituere poterit; euicisse mihi satis est hoc loco mendam irrepsisse.

Secundò obijcitur nobis elegantiæ Hebraicæ ignorantia qui nesciebamus *timor eorum me*, eleganter Hebraicè dici pro, *timor quo timuerunt me.* Nam substantiua verbalia eleganter regunt casum suorum verborum, vt Esaiæ c. 13. v. 19. כמהפכת אלהים את סדם *secundum subuersionem Dei Sodomam*, id est, sicut subuertit Dominus Sodomam. ita 2. Sam. 3. 11. מיראתו אתו, *propter timorem eius ipsum*, id est, quia metuebat illum. Non nesciebamus hanc elegantiæ speciem, & hæc duo exempla cum aliis nonnullis à Buxtorfio adnotari l. 2. Grammat. c. 3. in regula tertia. Ideo non diximus verba ista dare sine mente sonum, nihil est in verbis meis quod hoc innuat sed totum hemistichium dare sine mente sonum, *timor eorum me præceptum hominum edoctum*, vt legens tute vides. Vt hoc cla-

riùs intelligatur, docendum quod notat Buxtorfius ex R. Kimhi hæc & ſimilia conciſè dici, omiſſo pronomine & verbo nominis, vt, propter ſubuerſionem Dei אשר הפך qua ſubuertit, אשר ירא, qua timuit, &c. Nunc autem quid ſibi vult, *præceptum hominum edoctum?* nihil aliud ſignificare poteſt edoctum, quam eruditum bene & cum diligentia inſtitutum. Iungamus verba Chriſti antecedentia, vt ab eo citantur, & de his iudica Lector, *Hypocritæ bene prophetauit de vobis Iſaias dicens, Populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longè eſt à me: & eſt timor eorum me mandatum hominum edoctum*, vel ſi mauis, *& eſt timor quo me timent mandatum hominum eruditum & diligenter inſtitutum.* Iſtius pericopes etiam ſic intellectæ in hoc Euangelij loco nullus eſt ſenſus, vel eſt omnino priori contrarius; nam hominum præcepta laudat quæ Chriſtus improbat. Deinde licet, phraſis illa, *timor eorum me*, ſit elegans ſola & ſeparata, vt in duobus exemplis allatis, tamen quia conciſa eſt, pronomenque & verbum omittuntur, ſi obſcura alia & conciſa phraſis ipſi in vnum ſenſum & inciſum coniungatur, tum totius hemiſtichij ſenſus eſt obſcurus & perplexus. Iſte

autem adeo eſt obſcurus & perplexus vt, licet prior pars expendatur, & ſuppleantur quæ ſubaudiuntur, nullus tamen commodus ſenſus hinc elici poſſit, ſi cum antecedentibus comparetur. At ſi puncta legas, vt nos legimus, jod quoque in vau mutes, hoc eſt, י in ו non modo facillima ſententia, ſed etiam ipſiſſima colligetur quam 70. Interpretes, Ieſus Chriſtus & Apoſtoli nobis exhibent.

Præterea licet legeremus יראתם אתי, *timor eorum me*, ſemper תהו, *fruſtra* legendum eſſet, pro תהי, ne dictio illa cui Chriſti argumentatio incumbit nobis pereat. Eleganter autem dicitur תהו יראתם, *vanitas timor eorum*, ſic idem Iſaias c. 41. v. 29. רוח ותהו נסכיהם, *ventus & inane conflatilia eorum.* 1. Sam. 12. 21. כי תהו המה, *quia vanitas ipſa ſunt.* Iſa. 40. 17. ותהו נחשבו לו *& inane reputatæ ſunt ei*, &c. Triplici tamen ratione legendum potius videtur יְרֵאתֶם *Timuiſtis.* 1. Quid opus duas dictiones ſubaudire ſi aliter & Grammaticè punctando nulla prorſus ſubauditione opus eſt. 2. Subſtantiuum verbale regit quidem aliquando nomen in caſu quo verbum ſuum regeret; ſed hoc non reperitur cum nomini regenti adduntur affixa, vt hîc

factum est. In quibusdam quidem adduntur affixa, sed, vt ait Kimhi, infinitiua sunt vt Genes. 29. 20. באהבתו אתה, *in diligendo se eam*, id est, eo quod eam diligeret. 2. Sam. 3. 11. מיראתו אתו, *à timendo eo eum*, id est, eo quod eum timeret. Infinitiua sunt quæ cum literis בכלם Gerundiorum naturam induunt. 3. Lectioni 70. & Apostolorum hîc verbũ legere magis conuenit quàm nomen. Objicere Christum tertia persona vti, nos autem in Hebræo secundam restituere planè puerile est, cum nihil sit in textuum ad scopum suum accommodatione, casuum & personarum enallage frequentius: Ideo vt minor appareret in restitutione textus corruptela enallagen conseruauimus: aliàs וראו restituendum fuisset, sed sine codicis ope non satis firma fuisset, propter enallages frequentiam. Denique, exprobrare תהי, vertendum esse, *fuit*. Linguæ Hebraicæ tyrunculi, qui alteram septimanam etiam aliud agentes linguæ Hebraicæ operam nauauerunt, hoc cantillant תהי, *erit*, significare, sed pro antecedentium ratione, modo *est*, vt hîc vertũt Iunius & Tremellius, modo *fuit*, verti debere. Verùm quid par erat nos vertere qui pericopen ab an-

tecedentibus mente auulſam examinabamus, quique ibi de induſtria notauimus, *quod verbo tenus ſonat.* Verùm à nobis apagete vrina iſta μαντεύματα, næniaſque pluſquam pueriles.

Tantis argumentis freti, Lector, literulæ vnius mendam aut traiectionem in Hebræo textu collegimus; Eſt forſan vbi dictiunculæ eliſionem aut permutationem. Iudica quid æquius erat eum qui eiuſmodi argumentis mouebatur, pronuntiare, aut Chriſtum & Apoſtolos inſulsè argumentatos eſſe, aut 70. Interpretum & N. Teſtamenti Græcum, Latinumque textum his locis corruptelam paſſum, aut ſanè id corruptelæ Hebræo textui tribuendum. Quid? ſcelúſne implacabile, & inexpiabile quale Platonici vocant, ἀνίατον καὶ ἀνήκεστον, perpetrauit qui Amanuenſem Iudæum ab annis bis mille ſemel hallucinatum eſſe ſcripſerit? Iudæi ipſi Scribarum ſuorum alliterationes in neſcio quot Centurias diſtribuunt, ſed ne ſemel quidëm alliterationem ab iis eſſe commiſſam pronuntiare audebit Chriſtianus? Hæretici adnotant paſſim per vniuerſum nouum Teſtamentum varias codicum lectiones; Eum verò diris deuouent, qui vel

vnam in textu Hebræo notarit. Perpende, Lector, qua modestia in præfatione nostra vsi fueramus. Triplex differentiarum genus, vt vidisti, adnotaueramus. Primum conciliauimus sine vlla, vel tantilla Hebræi textus iactura. Secundum, cum vnius literulæ iactura aut decussatione, quam tamen admodum probabilem non necessariam iudicauimus, licet in plerisque istis locis eandem mendam, eandemque istius mendæ repositionem Hæreticorum doctissimi adnotarint, resque ipsa ab Hebraicè intelligentibus id postulare videatur. In postremo denique tantis rationibus coacti mendam necessariò irrepsisse pronuntiauimus. Sed brutis his animalibus quibus alabaster vnguenti plenus putere semper videtur, quibus cæcum odium est tota contradicendi ratio, furor sapientia, insanum conuitiandi cacoethes sermonis lepos, illa plurimùm displicent quæ doctis omnibus etiam hæreticis maximè placuerunt.

Variarum calumniarum abstersio. Editio Romana 70 Interpretum quàm sit sincera, & quantæ autoritatis. Hebræi textus mendæ tanti non sunt, vt dici poßit corruptus. Aduersariorum in fingendis sycophantijs ἀναισθησία, perpetua ἀστοχία, elumbis sophistice.

Capvt XII.

Paucis hoc capite de duabus aliis calumniis putidissimis, quas nobis imputant, agemus. Secunda igitur calumnia cui post primam totus libellus nititur hæc est, nos asserere Græcam 70 Interpretum translationem qualis editione Romana repræsentatur, authenticam esse, & ex omni parte incorruptam, qualis ab ipsis Interpretib. profecta est. Quo loco id diximus, non notant, nec vnquam notare poterunt. More suo calumnias impudentissimè vomunt, & quasi apud omnes constaret eos esse αὐτοπίστους, de probatione nunquam solliciti audacissimè mentiuntur. Itaque vno verbo cum iis agere sufficeret, mentimini stolidissimi sycophantæ. Contrarium tamen nos non modo sæpius disertè scripsisse, sed etiam vniuerso nostro sermoni

perpetuò ſubſtrauiſſe demonſtrabimus. Sed antea quid nos hac de re ſentiamus, perpetuoque ſenſerimus, explicandum. Primum, contra codicum ſibi inuicem comparatorum experientiam eſt, aſſerere, ſiue Septuaginta Interpretum tranſlationem, ſiue Vulgatam S. Hieronymi verſionem, ſiue Iudæorum codices, multo minus quoſcunque alios antiquos manuſcriptos nunc poſt tot exſcriptiones, ſine vlla menda eſſe, atque ex quacunque vel minima ſui parte puros, & omnino quales ab ipſis autoribus primùm emanarunt. Hoc aſſerere non modo temerarium, ſed fatuum exiſtimamus. Huius temporis hæreſiarchæ inſano furore in Eccleſiam acti id ſcripſerunt de codicibus Hebræis & Græcis noui Teſtamenti, vt hinc in interpretationem Eccleſiaſticam debacchandi & nouas interpretationes in Eccleſiaſticæ opprobrium condendi anſam arriperent. Sed qui iis ſucceſſerunt Græcos noui Teſtamenti codices replicantes tam variam multiplicemque eorum varietatem deprehenderunt, vt à Maiorum ſuorum decretis hac in cauſa ſibi recedendum eſſe publicè teſtarentur. In Hebræis codicibus tardius id animaduerterunt: cuius rei mul-

tæ ſunt cauſæ, ſed hæ potiſſimum: quod nulli apud Iudæos Europæos manuſcripti reperiantur, qui annos quingentos excedant; quod ætatis iſtius rariſſimi ſint, plurimoque auro redimantur; quod poſt Maſorethas in exſcribendis ſuis libris diligentiores fuerint; quod codices eiuſmodi ſint Græcis multò minus tractabiles; quod Hæreticorum pauciſſimi linguam Hebræam adeò familiarem habuerint, vt quacunque data occaſione illos euoluere & inuicem comparare potuerint. Quod denique eorum nemo ad Buxtorfium vſque in Maſorethica critica quidquam intellexerit. Tandem tamen experientia docti Hæreticorum multi iſtarum rerum periti plurimas eſſe in textu Hebræo mendas, vt ſupra ex ipſorum verbis demonſtrauimus, confeſſi ſunt. Quid enim fatuum magis fingi poteſt de Iudæorum Scribis id negare, quod de Chriſtianorum, & omnium populorum Scribis experientia fateri cogit?

Secundum, 70 Interpretum interpretationem, qualis editione Romana nobis repræſentatur, nunquam ſcripſimus authenticam eſſe, imò ea de re ne quidem cogitauimus. 70 Interpretum tranſlatio-

nem authenticam ſæpius quidem ſcripſimus, ſed hoc non de Romana diximus, verùm de ijs Exemplaribus quibus Eccleſia vſa eſt primis ſaltem quatuor ſæculis. Aut enim tum authentica erant exemplaria illa, aut eo tempore nullam ſcripturam authenticam habuit Eccleſia. Conſtat enim nullam aliam in Eccleſia publicè lectam fuiſſe, imò, vt ait S. Auguſtinus, multos populos an alia eſſet verſio, ignoraſſe. Deinde conſtans eſt apud omnes ſententia, cæteras verſiones ab Apoſtatis & Iudæis conditas fuiſſe: Num Patres aliqui, relicta 70 tranſlatione quam diuinam & cum ingenti miraculo editam credebant, apoſtaticam amplexi fuiſſent? Primus Origenes verſiones illas omnes in Tetrapla, & Hexapla collegit, vt ea quæ Iudæi textui addebant Chriſtianis non eſſet incognita, aliiſque de cauſis quas ex ipſius & SS. Patrum mẽte explicamus Exercit. Biblica 4. c. 1. & alibi. Denique Patrum ne vnus quidem eſt, qui verſionem illam diuinam & authenticam non affirmet. Quod ad Romanam editionem attinet, eam omnium editionum quæ nunc extant, ſcripſimus eſſe maximè ſinceram, atque à mendis & perturbationibus ex-

purgatissimam; & consequenter ad primigeniam illam omnium proximè accedere.

Sententiam nostram in præfatione illa aliisque scriptis tam euidenter expressimus, vt ingenium quantumlibuerit bardum, stolidum & asininum nonnisi per maximum calumniandi scelus, aliud nobis affingere non possit. En quæ in præfatione nostra de Romana editione scripsimus, licet scopus noster, vt est omnium qui in librorum editionem præfantur, potissimum esset hanc præclaram editionem laudare, & maximi facere, n. 13. *Comparationem istam instituerunt viri docti qui huic operi instaurando operam suam collocauerunt, & si quid diuersum deprehenderunt, quod librariorum incuriâ, codicum lacunis, Patrum σφάλματι μνημονευτικῷ contingere potuit, in scholia sua retulerunt*, &c. in eandem sententiam. Et numero vltimo *Lectiones enim variæ plurimæ sunt quibus frequenter textus 70 Interpretum confirmatur, quas ex ipsis antiquis manuscriptis, καὶ αὐτογράφοις, exscripsere qui scholia priora collegerunt.* Idem confirmat quod tota fere præfatione probare contendimus, in Iudæorum libros plurimas mendas irrepsisse, linguamque Hebræam præ cæteris huic incommodo esse

obnoxiam, idque Iudæorum Rabbinos non diffiteri, ac proinde ridiculum esse Iudæorum scribis scribendi ἀναμαρτησίαν imputare. Hoc tota præfatione contendimus, nunquam autem de Scribarum Latinorum aut Græcorum ἀναμαρτησίᾳ cogitauimus.

Verùm quoniam nobis res est cum pecoribus non modo stolidis, sed etiam furiosis, forsan nobis objicient quæ scribimus n. 14. *Aduersus ea quæ de diuina & canonica 70. Interpretum autoritate, eorumque textus αὐθεντίᾳ καὶ ἀναμαρτησίᾳ, ex omnium Patrum sententia disseruimus, oppositionem validissimam præsentio eorum qui codicibus Heb. nihil non tribuunt.* Quod ad αὐθεντίαν attinet, manifestum est ex iisdem verbis, & multò magis ex toto contextu de ista translatione vt antiquitùs extabat nos verba facere. Quod vero ad ἀναμαρτησίαν, nos eam referre ad maximum illud miraculum, cum 72. duo seniores illam verterunt, perpetratum quod paulò ante omnium Patrum & Iudæorum consensu demonstraueramus. Non autem sequitur primum illud translationis exemplar diuinitùs & cum ingenti miraculo scriptum ἀναμάρτητον est. Ergo & hinc exscripta

germanum, & genuinum autoris fœtum. Si enim suppositititius esset, vt Annij Viterbiensis deliria, Ciceronis de consolatione liber & eiusmodi, industria sua indignum iudicaret Critica. Adeo autem euidenter de hac re in præfatione nostra locuti sumus, vt, licet non suspicaremur aliquid tam bardum aut malignum futurum vt verba nostra aliter interpretaretur, eadem tamen translationis Grecæ epitheta sic ipsissimis verbis explicaremus. Num. 13. Postquam de vetustissimo codice, quem præcipuè secuti sunt illi editioni Præfecti, verba fecimus, *Quis igitur tam euidenti argumento conuictus, hanc veram esse & germanam Septuaginta interpretationem infitias ibit. Nemo cum optimæ notæ antiquum codicem nactus est, vt adulterinum repudiat, sed autori quem præfert, statim illum vendicat. Cur id quod prophanis pariter & Ecclesiasticis autoribus concedimus diuino huic operi a tam multis tamque vetustis codicibus approbato denegabimus?* Alia insuper eiusdem rei argumenta proferimus, deinde ea quæ de variis codicum lectionibus retulimus.

Præterea in Præfatione nostra Lectorem nonnunquam ad ea remittimus quæ hac de re scribunt in præfationibus isti

editioni Præfecti. Quid verò illud est? hæc tantùm referemus. *Cum tamen in aliis omnibus, nisi vbi manifestus apparebat Librarij lapsus, ne latum quidem vnguem, vt aiunt, ab huius libri autoritate discessum sit; ne in iis quidem, quæ si minus mendo, certe suspicione mendi videbantur non carere. Satius enim visum est, locos vel aliquo modo suspectos (nec enim fieri potest, vt in quantumuis expurgato exemplari non aliqua supersit macula) quemadmodum habentur in archetypo, relinqui, quàm eos ex alicuius ingenio aut coniectura emendari, &c.* Postea scribunt illius editionis autores studium illis non fuisse vt editio sua velut ea quę à S. Hieronymo κοινὴ dicitur, Hebræo textui ad verbum responderet, *sed vt ad eam quam Septuaginta Interpretes Spiritus sancti autoritatem secuti ediderunt quantum per veteres libros fieri potest, quàm proximè accedat.* Alia plura ibidem & in aliis præfationibus, vt omittam doctissimas, & copiosas satis adnotationes quæ singulis capitibus Bibliorum adtexuntur.

Romanam editionem authenticam esse nos asseruisse vnde id acceperunt nescio; nisi quod sæpe dixerimus 70. Interpretum translationem diuinam esse & canonicam,

id ſtatim ad editionem Romanam traxerint : quod tantùm intelleximus de ea tranſlatione qualis extabat quatuor aut quinque primis ſeculis, quibus ſola tunc in vniuerſa Eccleſia vſurpabatur, & de Romana etiam quatenus cum illa conſentit. Cum autem omnium quæ nunc vulgo feruntur, ad antiquam illam & primigeniam editionem Romana proximè accedat, neceſſariò conſequitur eam ad αὐθεντίαν, omnium Græcarum editionum proximè accedere; ſed hactenus non legi editionem iſtam eadem qua Latina fruitur prærogatiua ab Eccleſia donatam. Scribit quidem eruditiſſimus ille Cardinalis Baronius apparatus n. 119. de hac editione *opus eſſe planè diuinum, ac diuinitus inſpiratum quod à S. D. N. Sixto V. Romano Pontifice meritò comprobatum, ac magnopere laudatum; vt Eccleſiæ Catholicæ eſſet vſui, eundem ſacro diplomate in fronte eius affixo, cunctis fidelibus ſignificaſſe.* Sed eſſe authenticum & canonicum non pronuntiauit, vt nec Sixtus Pontifex in diplomate ſuo, ſed tantùm vt *ab omnibus reciperetur ac retineretur.* Itaque omnibus editionibus illa præfertur, non tamen diſertè authentica pronuntiatur. Verum quidem eſt ex ver-

bis diplomatis nihil esse in ea editione contra fidem bonosque mores, manifestè consequi; verumtamen augusta illa majestas τῆς αὐθεντίας illi non tribuitur. Si quis tamen huic editioni hanc prærogatiuam deferret, ei non magnopere repugnarem, licet ab ea ei deferenda semper abstinuerimus. De hac editione, eiusque præ cæteris excellentia, autoritate, sinceritate, cum antiquis exemplaribus conformitate, & varietate, aliisque eiusmodi ad eam spectantibus multis capitibus scripsimus tota Exercitatione IX. Biblicæ.

Postrema calumnia quæ passim per totum libellum aspergitur, est, me Hebræum textum pro deprauatissimo habere, atque omni mendarum genere plenissimo, adeo vt omnium pedibus abjici & proculcari debeat. Tantùm abest vt hoc scripserim, vt textum Hebræum corruptum nũquam dixerim. Multas quidem mendas in eo esse, & à Iudæis adnotari, multa quidem loca deprehendi in quibus corruptelæ inessent, sæpius scripsi. Sed textum corruptum nunquam pronuntiaui. Sunt autem hæc longè dissimillima. Res aliqua talis denominatur vel à nobiliori, vel à maiori sui parte. Non maior pars, non nobilior

deprauata eſt. Multis in locis ſunt mendæ; nonnullæ nullius momenti, nonnullæ de quibus difficile eſt iudicare vtra ſit ſincerior & textui conuenientior: Nonnullæ quoque magni momenti ſunt corruptelæ. Illa tamen omnia ſi cum reliquo textu integro comparentur, & pauciſſima ſunt, & minimi momenti. Ideo nec vnquam ſcripſi textum iſtum ſimpliciter corruptum, nec talis niſi admodum impropriè dici poteſt. Mendæ ſunt plurimæ in textu Græco noui Teſtamenti; mendarum myriadas ſolus Beza ſuppeditabit: Num ideo abſolutè dicetur textus ille corruptus? Vulgatæ codices antiqui inuicem comparati multas varietates exhibent, qui tamen Vulgatam abſolutè corruptam pręter Hæreticos inſano odio aduerſus eam frementes affirmabit? quum igitur textum Hebræum ne corruptum quidem dixerim vnquam, qua argumentorum complexione niſi prorſus ſycophantica & inſana, eum deprauatiſſimum & pedibus conculcandum me ſcripſiſſe demonſtrabunt?

Sæpius quidem ſcripſi & in prętatione mea, & in Exercitationibus in Hebræo textu mendas eſſe & varietates multas il-

lorumque risi fatuitatem qui Iudęorum Scribas aberrare non posse credunt, & eorum peruicaciam cum stoliditate coniunctam insectatus sum qui innumeras varietates oculis conspicientes, & manibus contrectantes ad mysteria confugere malunt, quàm mendam vllam confiteri. Sed hinc colligere textum Hebræum esse corruptum, multò minus deprauatissimum & pedibus conculcandum, eorum sanè est qui rationis impotes quęcunque dictat furor, effutiunt; quique Scarabęis similes vt scribit Plutarchus, τὸ μύρον ἀπολίπουσι, τὰ δὲ δυσώδη διώκουσι.

Tam dispar Aquilæ columba non est,
Nec Dorcas rigido fugax leoni;

Quàm fonti suo istud consequens.



DIATRIBES ELENCTICÆ

De Sacri Textus, Hebræi & Græci ſinceritate dignoſcenda.

PARS POSTERIOR.

Nihil de Hebræo textu ſcripſit autor, quod antea Iudæi, & Hæretici complures non ſcripſerint. Calumniarum lerna, argumenta ἀνεμοφόρητα.



LICET his tribus verbis, mentimini impudentiſſimi ſycophantæ, tam immanes calumnias diſſipare potuiſſemus; cum accuſati negatio longè ſit fauorabilior accuſantis affirmatione quæ nullo teſtimonio confirmatur; imò eiuſmodi accuſatio lege talionis vindicetur: euidenter tamen demonſtrauimus abſterſis calumniis nihil nos de hac re docuiſſe quàm quod Hæreticorum doctiſſimi, & Iudæorum maxima pars de ſacris libris profitentur, naturaque veluti duce docti omnes, præſertim Critici de quibuſvis libris affirmant. Itaque Lectori

cumulatè ſatisfactum eſt, necnon etiam vt mihi quidam videtur, ſycophantis noſtris, niſi forſan calumniarum lernam καὶ μυρμηκίαν animo condant, quæ velut Augiæ ſtabulum ab Hercule ſolo purgari poſſit. Inſuper tamen alterum ſed breuiſſimum opus aggrediemur; Eorum libellum, quem examen præfationis Morini inſcripſerunt, incudi reddemus, ipſumque κατὰ πόδα ſequemur, vt quàm limis oculis colliment tenebriones iſti facilius conſpiciat Lector. Rectè quidem experientia doctus ſcripſit Horatius,

Nec ſemper feriet quodcunque minabitur arcus.

Horrenda minantur illi, belluas, canes, monſtra, furias intentant nobis. At ne ſemel quidem feriunt Hermodori iſti; tela omnia ἀνεμοφόρητα. Ab ipſo titulo exordium faciamus.

TITVLI ELENCHVS.

Aduerſar. μακόνθια, *barbaries, fallacia.*

Libelli titulus eſt, *Examen præfationis Morini in Biblia Græca de textus Hebraici corruptione, & Græci autoritate.* χαλκόνθειας eorum paucis verbis duplex argumentum. Parturiunt montes, vt vulgo dicitur, na-

ſcitur ridiculus mus. Examen præfationis meæ ſpondent. At eorum quæ in ea explicantur maximam partem ne legiſſe quidem videntur. Cætera quæ eorum bilem potiſſimum commouerunt, licet numeroſiſſima, vnico excepto prætericrunt. Illiterati homines, atque è triuio Barbari quomodo doctrinam aliquam refellerent, quum quid ſit refellere non teneant? Alterum κακοηθείας argumentum, falſi crimen eſt. Præfationem meam mentiuntur eſſe de textus Hebraici corruptione. Titulus eſt textui ſuperpoſitus *De textu Græco & Hebræo*, & in ipſo exordio expanſior, *cauſas explicat propter quas ab Hebræo textu moderno tantopere diſſentit.* De corruptione nec in titulo nec alibi verbum vllum. Mendas eſſe & corruptelas multis in locis cum Hæreticorum doctiſſimis, & Iudæorum magna parte ſcripſimus, ſed hinc abſolutè colligere textum Hebræum eſſe corruptum, & à ratione, & à rectè & conſideratè loquentium conſuetudine alienum eſt. Quidquid ſit hanc propoſitionem nunquam aſſeruimus.

Calumniæ in libelli dedicatione aſſertæ Elenchus.

Eandem calumniam ſed tragicè exag-

geratam recoquunt. Verba ſupra retulimus, & refutauimus. Monſtrum præterea ſcribunt me eſſe quod ipſi Iudæi execrentur. An hoc verum ſit capite nono diſputatum eſt.

Præfatiunculæ ad Lectorem Elenchus.

Paucis verbis illa præfatiuncula totius ſuæ diſputationis fundamentum faciunt, me aſſerere, quidquid in nouo Teſtamento citatur è veteri per omnia & verbo tenus deprehendi debere in veteri, vt eſt in nouo citatum, alioquin corruptionis in veteri Teſtamento argumentum eſſe. Vix eſt aliquid in vniuerſa illa diſputatione, ſeu potius ieiuna & exucca hemiſtichiorum veteris & noui Teſtamenti exſcriptione quod huic potiſſimum fundamento non innitatur. Calumniam quam ignorantiſſimi ac audaciſſimi homines nullo meo dicto probant, cap. 1. 2. & ſequentibus abſterſimus. Conſidera, Lector, quale futurum ſit ædificium quod tam caduco & ruinoſo fundamento ſuperſtruitur.

SECTIONIS I. ELENCHVS.

De vmbra ſua triumphant aduerſarij, eorum impoſturæ.

HOc iacto fundamento ad pugnam ſeſe accingunt, vmbram ſuam repetitis ictibus feriunt, eamque angunt triumphabundi. Conuaſant igitur vndique in eum finem ea loca veteris Teſtamenti quæ bis cum aliqua varietate in nouo Teſtamento referuntur. Poſtea limaces viri bicornem argumentationem inſtituunt. *Alterutra teſtimonia*, inquiunt, *oportet falſitatis teneri cum vtraque non poſſint verbis Hebraici textus ad amuſſim reſpondere.* En Morinus habet, captus eſt. Bona verba quæſo vos. Quis præter veſtri ſimiles fungos credidit vnquam aliquem mentis tam emotæ fuiſſe, vt ſibi perſuaderet quidquid è veteri Teſtamento in nouum refertur, prorſus κατὰ λέξιν eſſe referendum, etſi ſecus, corruptionis in Hebræo textu eſſe argumentum. Præterea quod Apoſtolus vnus citauit, alterum compendioſius aut cum caſuum vel perſonarum enallage citra eiuſmodi periculum citare non poſſe? Vires igitur in ventum effunditis. Si mens Mo-

rino tam læua fuisset, non paucissima sed innumera huius generis argumenta nullo negotio collegisset: imò ea nulla in hypothesi exscripsisset, cum vbique per singula N. Testamenti capita prostet, & ad marginem omnium fere N. T. codicum adscriptum sit, vnde è veteri excerpta sint, neminique prorsus, modo alphabetarius sit, ignota esse possint. Non est adeo excors Morinus & vestri similis, vt millies millies actum iterum agere velit, crambenque centies coctam & recoctam per vniuersum librum variis sed insipidissimis condimentis recoquere. Cerebri vestri saniem curate, tum demum alios huius insaniæ criminari desinetis.

SECTIONIS 2. ELENCHVS.

Nulli textui, originario, aut verso nunc tribui debet παντοδαπὴ ἀκριβολογία. *Aduersarior. duplex impostura, laruatæ pugnæ libido.*

REm grandem sibi hac sectione proponunt ridicula capita; exagitandam scilicet, *summam quidem & incredibilem, sed perpetuam tamen, ac quasi fatalem Morini stupiditatem & vecordiam.* Quamobrem verò? quia Græcæ versioni *ineuitabile*

exitium importat. Nam, inquiunt, loci in nouo Teſtamento citati, atque à Græca verſione diuerſi, etiam in quibus illa verſio cum Hebræo conſentit, non ſunt pauciores iis qui cum ea conſentiunt, & ab Hebræo diſſentiunt. Si igitur corruptus eſt ideo textus Hebræus, ergo & 70 Interpretum interpretatio. Eadem chorda aberrant. Nos ſcilicet exiſtimare quidquid vel tantillum à verbis in N. T. relatis variat, corruptionis certum eſſe indicium. Deinde alia impoſtura fundatur eorum conſequentia quam nobis imponunt ignorantiùs neſcio an impudentiùs. *Quandoquidem*, inquiunt, *enixiſſimè contendit Morinus Verſionem Græcam veram ac genuinam, qualis ab ipſis Interpretibus profecta fuit editione Romana, & Pariſina repræſentari, &c.* Quo loco hoc enixiſſimè contendit, ô impoſtores ſtolidiſſimi, indicate. Hoc enixiſſimè contendit Morinus! qui vbique in præfatione illa, & aliis ſuis ſcriptis quàm enixiſſimè contendit, fatuos eſſe & cæcos qui hoc aſſerunt. De Hebræo textu & Græco noui Teſtamenti pro viribus id demonſtrare vbique adnixus eſt. De Græca verſione & Vulgata non item; quia hactenus nemo, quod ego quidem audiuerim,

tantæ fuit fatuitatis & ſtupiditatis vt Verſionem Græcam & Vulgatam Latinam ex omni vel minima ſui parte & literula eaſdem prorſus aſſereret, quales ab ipſis autoribus primùm conditæ ſunt. In id autem abſurdum magno argumentorum apparatu inſurgere, quod à nemine aſſeritur, Num ridiculus eſſet conatus? atque vt dicitur, βορβόρῳ ὕδωρ λαμπρὸν μιαίνειν? Cum laruis luctari ſtultorum eſt, & veſtri ſimilium quibus

Tutius eſt multò verbis contendere fictis
Quam pugnare manu.

Hæc ſunt omnibus qui recta ratione vtuntur longè diuerſiſſima: In Verſionibus illis Vulgata Latina potiſſimùm quam Eccleſia diſertè pronuntiauit authenticam, nihil eſt contra fidem bonoſque mores, ſi ſanè intelligatur; Et, nulla eſt vel minima dictio & literula in illis verſionibus quæ non ſit ipſiſſima quam ſcripſerunt earum autores. Prius aſſerunt omnes Catholici, virique cordati: Poſterius, hactenus aſſeruit nemo, nec aſſerere poteſt harum rerum expertus & ſui compos. Quanquam maximum eſſet diſcrimen inter eos qui hanc prærogatiuam his verſionibus vendicarent, & Hæreticos qui Originariis texti-

bus illam tribuunt. Priores enim id bono quodam zelo, sed non secundum scientiam facerent: Posteriores autem in odium Ecclesiæ Catholicæ, & omnium quæ approbat opprobrium, id magnis animis contendunt. Quapropter prius miseratione & indulgentia, posterius graui reprehensione & pœna dignum est. De istius calumniæ falsitate iam peculiari capite dictũ est, quare plura dicere supersedemus. Huic calumniæ & præcedenti innituntur futilissimæ quæ sequuntur citationum comparationes, quarum nuda & exangui relatione vniuersum ipsorum opus absoluitur.

SECTIONVM, 3. 4. 5. 6. ELENCHVS.

Magno molimine probandum suscipiunt aduersum nos quod negare absurdissimum esse sæpius scripsimus. Eorum fœda orationis inconsequentia; in Apostolos blasphemia, inscitia, ἀχειρία.

SEctione secunda sibi proposuerunt ad maximum absurdum nos cogere, ad fatendum scilicet in 70 Interpretum translationem mendas, corruptelasque irrepsisse: Quasi verò id absurdum existi-

maremus, quòd verum esse adeo sæpè confessi sumus. Conuictionis autem eiusmodi hanc viam sibi eadem sectione ineundam proponunt. In quatuor classes digerunt ea testimonia quibus citationes N. T. sequuntur 70 interpretationem ab Hebræo textu deflectentem, & vnicuique classi suam sectionem tribuunt. Sectione enim tertia referunt ea testimonia in quibus citationes sequuntur Græcam interpretationem Hebræo textui addentem. Sectione quarta, vbi eam sequuntur aliquid omittentem: sectione quinta, vbi leuiora tantùm permutantur, vt numeri, personæ, &c. Sectione sexta, vbi 70 minus accuratè vocabula Hebræa Græcè verterunt. Quid inde colligant his quatuor sectionibus non aperiunt: illud iam fecerunt sectione secunda cui responsum est; nos scilicet, id vniuersum cum ipsis fateri. Sed apertiùs sectione 7. Vbi nos iterùm ea de re verba faciemus. Interim trium Lector monebitur.

Primùm, trium priorum sectionum & consequens & antecedens nos facile admittere, imò eum fatuum aut harum rerum imperitum iudicare qui non admittat: Consequentiam autem non ita vniuersè.

uersè. Hoc est, facilè admittimus, Versionem Græcam & hanc secutas Apostolorum citationes, aliquid addere vel demere, vel in eo permutare; Præterea ex hac additione vel defectu, aut etiam permutatione aliquando probabiliter, aliquando necessariò consequi mendas in Hebræum textum irrepsisse. Sed consequentiam in sectionibus illis subductam non semper admittimus: Hoc est, non admittimus ex omnibus illis locis quos indicant sectiones illæ colligi posse etiam probabiliter corruptelas Hebræum textum inuasisse. Certum est enim Interpretes præsertim 70 Seniores illos in interpretationibus suis multis de causis nonnulla præterire, aut addere, aut etiam leuiter permutare. Itaque ex quacunque eiusmodi varietate colligi non potest in textum archetypum irreptio, nisi forsan archetyporum codicum accederet suffragium, aut plurium versionum variis seculis factarum conspiraret consensus: variis enim archetypis æquiparari posset eiusmodi consensus.

Secundùm, quartam testimoniorum classem iuxta Aduersarios aliquid habere peculiare. In quibusdam enim exemplis

talis dictionum, vt ipſi loquuntur, fit permutatio quæ corruptelam aut in textum Hebræum neceſſariò infert, aut non modo in 70 Interpretum textum, verùm etiam in ipſiſſima Apoſtolorum verba, vt res ipſa textus comparantibus manifeſta eſt, & alibi demonſtrauimus. Audi verò quid eos cogat veritas confiteri, *Reſtat*, inquiunt, *quarta & vltima claßis, vocabulorum nimirum quæ minus accuratè interpretati ſunt Septuaginta.* Sed ipſi fatentur hanc minùs accuratam interpretationem Apoſtolos eſſe ſecutos. O egregios Apoſtolicæ autoritatis defenſores! En quanto labore omnem lapidem mouent, vt Apoſtolicum dictum ab omni iniuria vindicent!

Πρόσθε δὲ οἱ δόρυτ' ἔσχε, καὶ ἀσπίδα πάντοτε ἴσην.

ô ſummam hominum qui ſe Chriſtianos profitentur non dicam impudentiam, ſed impietatem!

Horum nequitias iocoſque nouit
Aurem qui modo non habet
Batauam.

Minus accuratè interpretatos non modo LXX Seniores, ſed etiam Apoſtolos ipſos fateri malunt, quam Iudæorum Scribas in textu Hebræo vel leuíſſimam mendam commiſiſſe. Ipſos vt monſtra non quidem

execrabunt Iudæi, verùm quotquot Iesu Christo nomen dederunt.

Postremùm Lector cuius te monitum velim, est, Plerasque ipsorum ex Hebræo testimoniorum comparationes, & interpretationes licet de re sint facillima, atque ab omnibus φιλεβραίοις trita, ex mera tamen eáque crassissima inscitia, aut ἀκεισία ortas esse. Tria verba sacri textus post tot dictionaria, tot interpretationes Latinè vix reddere possunt, & LXX Seniores, & Apostolos omnes minus accuratæ interpretationis criminari audent? Minutas istorum comparationes, nec quà ex iis colligunt aliquid, nec quà interpretantur, persequi non fert animus. Nihil enim sententiæ nostræ officiunt, cum lubentes admodum quæ hinc concludunt amplectamur. An autem ex futili ratiocinatione verum eliciant, quid ad nos? Num reipublicæ literariæ interest, recténe an secus argumententur nugipolyloquides isti, καὶ χρουνοχυτρολήραιοι?

Elenchi Sectionis 7.
Pars prior.

Græcam Interpretationem Hebræo textui præferendam esse, ex eo quod eam ab Hebræo deflectentem Apostoli secuti sunt, nunquam dixit Morinus. Quid verbum נשא significet. Græca versio contra Aduersar. imperitam temeritatem asserta. Eorum μικρολογία, audax & nefaria correctio, rationum ἀνακολουθία.

HAc sectione primùm explicant quem in finem quatuor præcedentes testimoniorum catalogos texuerint. *Sed frustra*, inquiunt, *ex his quæri talem isti versioni autoritatem, vt ipsi Hebraicæ veritati debeat præferri, id quod hic canis contendit, clamant quamplurimi loci in quibus Hebraico textui contra illam subscribunt ijdem sacri autores, atque eum suis ipsi verbis exprimunt, relictis 70 ab eo aberrantibus.* Non scripsimus ex his testimoniis colligendum esse Græcam interpretationem Hebræo textui esse præferendam; sed in Hebræum textum locis illis mendas esse illapsas, & consequenter fontes Hebræos non vbique absolutè puros fluere, vt Hæretici hactenus

tam peruicaciter contenderunt. Conſequentiæ autem ratio eſt euidentiſſima, & eiuſmodi quæ ab Hæreticis, ſi modo Chriſtianorum nomen non horreant, negari non poteſt. Apoſtoli locis illis cum Septuaginta Interpretum verſione conſentiunt. Sed verſio iſta cum Hebræo textu neoterico conſiſtere non poteſt. Aut igitur neotericus Iudæorum textus in illis locis ab antiquo variauit, aut Apoſtolicus textus ſimul cum Græca verſione ibi deprauatus eſt. Alterutrum neceſſariò eligendum. Non poſterius, cum longè probabilius ſit in vnum codicum genus mendam aliquam irrepere, quàm eandem omnino mendam in duo codicum genera omnino diſparata ſeſe inſinuare. Deinde illis in locis Apoſtolicum textum & Græcam verſionem eodem modo ſemper habuiſſe conſtans eſt Patrum traditio: Itaque mendæ illapſæ nulla ſuboriri poteſt ſuſpicio. Denique de verbis aut ſenſu textus non ſimpliciter vertitur quæſtio, ſed de Ieſu Chriſti & Apoſtolorum eius in Aduerſarios ratiocinatione, quæ ſi textui Hebræo nitaris nulla eſt, aut debiliſſima; ſi verò Græcæ interpretationi & Apoſtolico textui validiſſima.

Verùm nunquam ſimpliciter diximus, ideo Græcam verſionem Hebræo textui eſſe præferendam, ſed illis in locis eſſe præferendam. An Græca verſio vt nunc extat, Romæque & Pariſiis edita eſt, Hebræo textui abſolutè ſit præferenda, alia quæſtio eſt, de qua non memini me aliquando verbum vllum feciſſe. Verſionem Septuaginta Interpretum Patres omnes, ſi S. Auguſtinum excipias qui illi Hebræum textum æquauit, & S. Hieronymum qui ea de re variis temporibus variè ſcripſit, & paucos forſan alios, Hebræo textui prætuliſſe ex eorum ſcriptis euidens eſt. Verùm hanc quæſtionem nunc diſcutere nihil ad rem noſtram facit. Iterum autem, Lector, notes peruelim quum diximus ex iis teſtimoniis colligi Hebræum textum illis locis eſſe deprauatum non omnia illa loca quæ quatuor ſectionibus præcedentibus retulerunt, nos intelligere. Adeo dementes non ſumus, vt tam futiliter argumentemur; ſed eorum nonnulla quæ in præfatione enarrauimus, paucaque forſan alia à nobis prætermiſſa.

Sed plura videtur colligere Aduerſariorum argumentum. Si enim, inquiunt, ex illis locis colligere licet verſionem Græ-

cam textui Hebræo esse præferendã; Ergo cõsimiliter ex illis locis in quibus Apostoli Hebræum textum relicta versione Græca sequũtur, colligetur Hebrꝗum textum versioni Grꝗcæ esse prꝗferẽdũ. Hinc iterũ occasionem arripiunt toto illo capite testimonia ista alium in modũ versandi, vt aduersùm frontata manifestum sit Hebrꝗum textum secutos esse Apostolos non versionem Græcam. Longo igitur catalogo contexto tandem sectione 8. animum argumentationemque suam recolligunt, *Hisce omnibus in locis quum noui fœderis scriptores Hebraicæ veritati adstipulentur contra Græcam versionem, nihil dicere potest Morinus quo minus vitiosa hæc sit & corrupta, si recipiatur eius argumentum quo istam labem inurere conatur Hebraicis archiuis, quia interdum non ista, sed deflectentem ab ijs Græcam versionem sequantur ijdem autores sacri: Par est enim vtrobique ratio.*

Hos libet interrogare, qua de re disputatis? περὶ οὗ γὰρ ὁ πόλεμος ὑμῖν ἐςι; περὶ ὄνου σκίας, vt facetè Comicus. Verùm noli mirari Lector, si asini cum sint, de asini vmbra tam acriter depugnant. Duplex illud consequens, atque etiam consequentiam admittimus, atque in scriptis nostris iam-

dudum est cum hæc admisimus. Fatemur igitur quibusdam in locis Hebræum textum Græcæ versioni esse præferendum: fatemur Græcam versionem quibusdam in locis esse corruptam: fatemur eo argumentationis genere colligi in Græcam versionem mendas irrepsisse, fatemur denique parem esse vtrobique rationem. Quanquam id postremum disputari possit, Christianos Græcam versionem diligentiùs conseruasse quàm Iudæi Hebræum textum. Chimeram vobis finxistis deinde magno conatu in eam irruitis. Eadem cautio quæ supra adhibita est, hîc etiam est adhibenda. Licet enim admittamus consequens, & consequentiæ rationem, non tamen admittimus varietates illas iis testimoniis quæ referunt inesse quas sibi fingunt. Nam ex tanta testimoniorum turba vix est vnum aut alterum ex quo aliqua cum probabilitatis specie concludi possit in Græcam versionem corruptelam aliquam sese insinuasse. Sed leuissimi homines perpetui σκινδαλμοφράσται, & syllabarum aucupes rei melioris penuria testimonia illa velut τὴν νεκροῦ ἀναθομὴν minutissimè dissecant, & particulas particulis comparant, vt ratiocinationi suæ fucum

aliquem facere poſſint, ne ſi integra referrent μικρολογίας imperitia ſtatim eluceſceret. Sed quid ad nos ea quæ ineptiſſimi iſti συλλαβοπευσιλάβηται σμικρολογοῦται, cum ſententiam noſtram inuiolatam prætereant? Qui loca illa è textu ſacro integra excerpſerit, fucum ſtatim ſentiet.

Verùm huc mentem aduerte Lector, magnum quid te volo. En pecora noſtra Hebraicè loqui incipiunt. Quid portendit caſus tam rarus & inopinatus? Rabbinos quod alibi nuſquam faciunt, hac in cauſa ſolicitant. Diu te ſuſpenſum non terrebo. Paucis difficultatis ambages replico. Dictionem vnam Hebræam de ſecundo verſu cap. 42. Iſaiæ, cum eius interpretatione Græca, & citatione apud Matt. c. 12. v. 19. conferunt. Hebraicè legitur, ולא ישא. Septuag. οὐδὲ ἀνήσει, *neque dimittet.* Matthæus, οὐδὲ κραυγάσει, *neque clamabit.* Ipſi hac in cauſa ſic argutantur, *Vox Hebraica propriè ſignificat, tollet, ſiue leuabit; ſed eſt ellipſis nominis* קולו, *Non leuabit vocem ſuam. Omnes autem ſciunt quod leuare vocem, & vociferari idem ſunt. Eſtque* ישא *ſynonymum* τῷ יצעק *clamabit quod præceſſit. Propheta enim diuerſis vocabulis bis idem dicit ad maiorem Emphaſin, quod & Kimhi annotat in*

commentariis, sic inquiens, וכפל הענין לחזק *Geminatur significatio emphaseos ergo. Quippe dixerat prius, ita hoc verbum debere exponi, quomodo nos exposuimus,* ולא ישא פירוש ולא ישא קולו, *Non leuabit, explicandum est, non leuabit vocem suam, Et sic quoque enarrat Salomon Iarki,* ולא ישא ולא יגביה קול. *& non leuabit, id est, & non eleuabit vocem. Istis etiam consentit antiquissima translatio Chaldaica, quæ vertit* ולא יבלי, *& non vociferabitur.* Hactenus eorum Rabbinismus. Tanto igitur conatu probant post ולא ישא *& non attollet,* subaudiendum, קולו, vocem suam, in hoc versu, *Non clamabit, & non eleuabit* ולא ישא, *neque audire faciet foris vocem suam,* & consequenter aut malè interpretatos Septuaginta, aut errorem eo loco esse in eorum textu in quo legitur, ὐδὲ ἀνήσει. ô Gordianum nodum, ad quem dissoluendum quod antea non fecerant, nec postea fecerunt, necesse fuit eos à Rabbinis & Paraphraste Chaldæo auxilium accersere! Quis dubitare potest, in isto versu si dictionem ישא, interpreteris, *eleuabit, vocem suam* subaudiendam, vel potius quum in textu exprimatur, regi ab vtroque verbo, *& eleuabit, & audire faciet?*

Si linguæ Hebraicæ cognitione leuiter

tincti fuiſſent, labore tam ſolicito quem nunquam alibi ſuſceperunt facile abſtinuiſſent. Nec errauerunt Interpretes, nec in eorum textum menda irrepſit. Rectè S. Hieronymus, rectè Rabbini iſti, rectè 70 Interpretes reddiderunt. נשא, verbum eſt homonymum quod admodum multa ſignificat, atque inter cætera, accipere, vt S. Hieronymus explicauit; attollere, vt Rabbini; dimittere & condonare vt Septuaginta: atque etiam decipere, vt vertit Symmachus, In re tam manifeſta exemplis non eſt opus. Si quis tamen ea requirat, dictionaria ſolicitet. Nullum eſt à quo rei tam vulgatæ non moneatur. Inueniet tantùm in vltima ſignificatione נשא ſcribi per ש cum puncto in dextro cornu. En quàm argutè & peritè colligunt aut 70 verſionem Apoſtolos non eſſe ſecutos, aut eorum textum corruptelas inuaſiſſe.

Poſt tam difficilis ænigmatis explicationem, quid non audere par erat homines tam doctos & ingenioſos? Primùm igitur hac ſectione erroris arguunt 72 ſeniores, & erroris ſtolidiſſimi, vtpote, qui legere neſcierint; *Errauerunt hic.* (Malach. 3. 1.) *vt alibi ſæpiſſimè in punctis, & ſic ex coniugatione ſecunda* פִּנָּה *fecerunt coniugationem pri-*

mam פִּנָּה, *quæ ſæpe aſpiciendi & intuendi ſignificationem habet.* id eſt, cum legendum eſſet *pinah* legerunt *panah;* & ſtolidiſſimus hic error non ſemel illis contigit, ſed ſæpiſſimè. Quamobrem verò? verterunt enim, ἐπιβλέψεται, *reſpiciet* cum vertendum eſſet, κατασκευάσει, *præparabit.* Miſerrimam Dei Eccleſiam ante exortos Lutherum & Caluinum, quæ nulla alia tranſlatione quingentis annis vſa eſt quàm 72 ſeniorum, hominum adeo linguæ Hebraicæ imperitorum, vt teſtibus Tayloro & Bootio, altero Angloſaxone, altero Batauo, Hebraicè ne legere quidem ſciuerint! An mentis compotes erant Apoſtoli qui ſolam hanc interpretationem Eccleſiis publicè & priuatim legendam & explicandam tradiderunt? Num Phrenetici Patres omnes qui eam interpretationem ingenti cum miraculo editam vnanimi conſenſu ſcripſerint, quam homines ἀναλφάβητοι condiderunt? φεῦ τῆς φλυαρίας! Apagete fatuos iſtos & inſulſos homines. Solet S. Hieronymus, ſolent Iudæi, necnon Hæretici in eiuſmodi diſcrimine lectionis varietatem non lectionis ignorationem cauſari. Quid? ideone licebit illis 72 ſeniores à Iudæorum Principibus cum res eo-

rum Hierosolymis florerent ad vertenda Biblia electos, tam stolidæ ignorantiæ accusare, eo quod ex Kimhio tria verba non plura, ex Salomone Iarki totidem non plura, ex Paraphraste Chaldæo vnicum Latinè reddiderunt?

At leones istos adeo ferocientes ne refugiamus, cominus eos intueamur: Asinos enim suspicor Leonis exuuium indutos; Ab exuuio emicare mihi videntur auriculæ. Ab iis primùm quæro, quid discriminis est in ea sententia de qua sermo habetur inter hæc, *inspiciet viam ante faciem meam*, &, *præparabit viam ante faciem meam.* Mittitur Nuntius ante regis alicuius aduentum ἐπιβλεψόμενος ὁδὸν, itinera inspecturus. Quid est aliud quàm paraturus? Omnes micrologiæ suæ meandros scrutentur, nullum vnquam discrimē fingent, quo Interpres vel minutissimi erroris argui possit. Imò Interpretis prudentia maxima, qui cum verbi Hebraici, duplex esset significatio verbum Græcum elegit quod vtramque significationem amplecteretur. Quo argumento freti colligunt legisse, פַּנֵּה potius quàm פִּנָּה? Lector, crimine ab vno disce omnes; disce quàm peritè, & prudenter Septuaginta Interpretes tantæ

mam פִּנָּה, *quæ ſæpe aſpiciendi & intuendi ſignificationem habet.* id eſt, cum legendum eſſet *pinah* legerunt *panah*; & ſtolidiſſimus hic error non ſemel illis contigit, ſed ſæpiſſimè. Quamobrem verò? verterunt enim, ἐπιβλέψεται, *reſpiciet* cum vertendum eſſet, κατασκευάσει, *præparabit.* Miſerrimam Dei Eccleſiam ante exortos Lutherum & Caluinum, quæ nulla alia tranſlatione quingentis annis vſa eſt quàm 72 ſeniorum, hominum adeo linguæ Hebraicæ imperitorum, vt teſtibus Tayloro & Bootio, altero Angloſaxone, altero Batauo, Hebraicè ne legere quidem ſciuerint! An mentis compotes erant Apoſtoli qui ſolam hanc interpretationem Eccleſiis publicè & priuatim legendam & explicandam tradiderunt? Num Phrenetici Patres omnes qui eam interpretationem ingenti cum miraculo editam vnanimi conſenſu ſcripſerint, quam homines ἀναλφάβητοι condiderunt? φεῦ τῆς φλυαρίας! Apagete fatuos iſtos & inſulſos homines. Solet S. Hieronymus, ſolent Iudæi, necnon Hæretici in eiuſmodi diſcrimine lectionis varietatem non lectionis ignorationem cauſari. Quid? ideone licebit illis 72 ſeniores à Iudæorum Principibus cum res eo-

rum Hierosolymis florerent ad vertenda Biblia electos, tam stolidæ ignorantiæ accusare, eo quod ex Kimhio tria verba non plura, ex Salomone Iarki totidem non plura, ex Paraphraste Chaldæo vnicum Latinè reddiderunt?

At leones istos adeo ferocientes ne refugiamus, cominus eos intueamur: Asinos enim suspicor Leonis exuuium indutos; Ab exuuio emicare mihi videntur auriculæ. Ab iis primùm quæro, quid discriminis est in ea sententia de qua sermo habetur inter hæc, *inspiciet viam ante faciem meam*, &, *præparabit viam ante faciem meam.* Mittitur Nuntius ante regis alicuius aduentum ἐπιβλεψόμενος ὁδὸν, itinera inspecturus. Quid est aliud quàm paraturus? Omnes micrologiæ suæ meandros scrutentur, nullum vnquam discrimē fingent, quo Interpres vel minutissimi erroris argui possit. Imò Interpretis prudentia maxima, qui cum verbi Hebraici, duplex esset significatio verbum Græcum elegit quod vtramque significationem amplecteretur. Quo argumento freti colligunt legisse, פִּנָּה potius quàm פִּנָּה? Lector, crimine ab vno disce omnes; disce quàm peritè, & prudenter Septuaginta Interpretes tantæ

ſtoliditatis accuſant. Deinde ita ſit, פִּנָּה legerint, quum dictio vtramque lectionem ex æquo patiatur, quid erroris commiſerunt? Ergo arguendus erroris S. Paulus cap. 11. Epiſt. ad Hebræos v. 21. qui referens locum ex 47. Geneſ. v. 31. legit מַטֶּה mateh *virgam*, vbi nunc ſcribitur מִטָּה mitah, *lectus*. Quanto modeſtius Beza in hunc locum. *Ego verò fateor Græcos vnum idemque vocabulum aliis punctis vocalibus expreßiſſe vt pote, qui* מטה *matteh legerint, non* מטה *mittah, vt ſcriptum habemus.* Nec aliquid durius hæreſiarcha pronuntiat. Innumera ſunt eiuſmodi, ex quibus, vt qui inter hæreticos docti ſunt fatentur, nec mendæ debent accuſari Iudæorum codices, nec erroris qui aliter legentes interpretati ſunt. Vides igitur rem ita ſe habere vt ſuſpicabamur, iſtos ſcilicet nihil aliud eſſe quàm aſinos perſonatos, iuxtaque genium ſuum de aſini proſpectu, vt dicitur, reuerà cauillatos.

Antequam de hoc errore imaginario finem dicendi faciamus, hoc ipſo exemplo quàm rectè in ſcopum ſuum colliment, periculum faciemus. Sectione hac 7. ſibi proponunt loca enarranda, *in quibus Hebraicam veritatem, non verſionem Græcam*

ab ea deflectentem ſequuntur ijdem ſcriptores noui Teſtamenti. En Hebraicam veritatem, *Ecce mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* En Græcam verſionem, *Ecce mitto Angelum meum, & inſpiciet viam ante faciem meam.* Nunc iudica, an S. Matthæus Græcam verſionem deſeruerit, & Hebræum textum ſecutus fuerit. En S. Matthæi verba, *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Sic in præcedente citatione Hebræus textus, *Non clamabit, & non* ישא, *neque audire faciet foris vocem ſuam.* Græca verſio, *Non clamabit, neque dimittet, nec audietur foris vox eius.* Nunc iudica, an S. Matthæus Græcam verſionem deſeruerit, vt Hebraicum ſequeretur, *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis vocem eius.* Verbum ישא non ſumus interpretati, eo quod, & dimittet, & clamabit, & alia vt dictum eſt, ex æquo ſignificet. Notandum tamen eſt, ישא, abſolutè poſitum clamorem nunquam ſignificare, ſed tantum ratione antecedentium, & contextus orationis; ſed dimittere & condonare abſolutè ſæpe ſignificat. Quapropter quidquid locutuleij iſti garriant, dictionem Hebraicam ex-

pressiùs hoc loco, κτ̣ λέξιν reddit versio Græca, quàm ipse Matthæus. Cognoscis, Lector, velut ex vngue Leonem quàm futilibus & ridiculis argumentis, homines ineptissimi veritatem propugnent. Fatemur enim Apostolos Hebræum textum à versione Greca dissentientem in citationibus suis nonnunquam secutos; siue quod 70 aliquid mutassent, quod Apostoli tum sequi nollent, siue quod vim textus Hebræi versio non satis exprimeret, siue quod menda aliqua locum illum versionis insedisset, siue quod lectio codicis Hebrei tum Vulgata magis ad eorum scopum faceret, siue aliis de causis id tandem fecerint. Sed paucissimi sunt eiusmodi loci. Vbique enim fere 70 Interpretes sequuntur Apostoli, aut cum ab iis discedunt, ab Hebræo quoque textu secessionem faciunt. Verùm brutorum istorum hominum syllogismi cum id concludunt, ἀσυλλογιστότατοι sunt, si vlli vnquam fuerunt.

Elenchi Sectionis 7.
Pars posterior.

LXX. Interpretes scelestißimè sacrorum codicum falsationis accusari. Prophetiæ de Christo quas Aduersarij dicunt 70 Seniores peruertisse asseruntur. Criticæ Masorethicæ τοῦ מוקדם ומאוחר *exempla, LXX. & S. Hieronymi interpretationibus illustrata. Quid significet* קדם, *quid* אבור. *Aduersar. arrogantia Gygantæa, κορυβαντιασμὸς, ignorantia impudens, & sacrilega. Præpostera & insulsa versus Græci cum Hebræo comparatio.*

HOrrendam temeritatem, & arrogantiam triobolarium istorum hominum planè Gigantæam præterire non possum. Ter ista sectione terræ filij isti Septuaginta Interpretes sacrum textum peruertisse, corrupsisse, indignis modis tractasse blasphemãt. Leonem canes vellicant, aquilam infaustæ cornices. Solent Patres diuinæ prouidẽtiæ erga religionem Christianam tribuere, quod 72 illi Seniores regis ethnici precibus persuasi nonnullis ante Christum seculis Iudæorum libros sacros Græcè transtulerint, ne si post

Christum natum id fecissent, Christianis nimiùm fauisse Gentiles crederent. Cum autem opus suum trecentis ante Christum annis absoluerint, ab omni inquiunt, fauoris & odij suspicione liberrimi sunt. Quem in finem, quæso vos, sacros codices vbi de Christo venturo verba faciunt, peruertissent? Quid in ipsos inde redundabat, lucri, spei, periculi? Aiunt quidem Aquilam, Symmachum, alios Apostatas odio Christianismi aut sectarum à quibus desciuerant, in versionibus suis multa peruertisse, sed 70 Interpretes non modo id non fecisse, verum etiam apud omnes esse extra istius facti suspicionem. Ideo si quid apud Hebræos de Iesu Christi diuinitate, aut sanctissima Trinitate clarius quàm apud 70 Interpretes enuntiatum deprehendebant, illud vniuersum piis causis tribuebant, vt in Exercitationibus nostris Biblicis multis hoc explicauimus. Soli omnium hominum post nouemdecim secula inuenti sint Taylor & Bootius terræ intestina, & humanæ naturæ retrimenta, qui sanctissimos Interpretes fœdissimæ & sceleratissimę falsationis criminarentur.

Quibus argumentis ad tantum nefas prouocati sunt, consideremus. Matt. 12.

v. 18. citatur versus 1. cap. 42. Isaiæ. Hunc versum ita describunt 70 Interpretes, *Iacob puer meus, assumam eum: Israël electus meus. Suscepit enim anima mea.* Hebręus textus vt vertit S. Hieronymus, *Ecce seruus meus, suscipiam eum: Electus meus. Complacuit illi anima mea:* Tota difficultas vertitur in additione duarum dictionum *Iacob*, & *Israël*, quibus fieri videtur, ne ista prophetia de Christo intelligatur. Matthæus illas dictiones pręterit: *Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus in quo bene complacui animæ meæ.* Hinc occasionem nacti sic scribunt Aduersarij, *illustrissimam hanc de Christo Prophetiam planè peruerterunt 70, atque ad Israëlitas Dei verba detorserunt, vertendo*, Ἰακὼβ ὁ παῖς μου. Sed S. Hieronymus quem citant, nihil tale de 70 Interpretibus suspicatur, licet adnotet Hebraicam lectionem Christo Iesu magis fauere. 2. Sequentia manifestè docent hanc prophetiam de gente Iudaica intelligi non posse, sed de particulari aliqua persona. Itaque sub nominibus Iacob & Israël non intelligendam gentem Iudaicam, sed Messiam. En locum planè similem citat Matthęus c. 2. 15. ex Oseæ cap. 11. v. 1. vbi sermo est de Israële, sed figu-

ratè de Christo ab Apostolo intelligitur. *Puer Israël, & dilexi eum; & ex Ægypto vocaui filium meum.* 3. Quid impedit asserere locum istum in versione Græca à Iudæis esse corruptum, cum S. Iustinus Martyr, aliique Patres, de similibus versionis Grecæ locis id Iudæis tanta cum fiducia exprobrent. 4. Quid impedit quo minus variam fuisse olim textus Hebræi hoc loco lectionem affirmemus: Vnam secutos 70 Interpretes, alteram Matthæum. Denique si locum hunc peruerterunt, quamobrem tantum scelus? an gratis sceleratissimi fuerunt, & 72 viri sanctissimi in tantam impietatem nemine eorum refragante consenserunt?

Secundum huius rei argumentum est eiusmodi. Ioan. 19. v. 37. citatur locus ex Zachar. 12. v. 10. *Videbunt in quem transfixerunt*: ita Hebræus textus, & Euangelista, sed 70 Interpretes, *aspicient in me pro eo quod insultauerunt*. De hac varietate sic isti loquuntur, *Quæ sanè indigna est, & planè intoleranda nobilissima de passione Domini nostri Iesu Christi prophetia peruersio.* Quem in finem 70. hunc locum peruertissent, edisserant. Iam multis de hac varietate disseruimus, Exercit. Biblica 3. c. 5.

Breuiter dico, 1. Manifestum esse 70. non רקדו, sed רקדן, in codice suo legisse, quod duabus de causis factu facile fuit. Prima, ob literarum traiectionem, resch in locum daleth, cuius rei exempla Masorethæ notāt in textu Hebræo sexaginta duo, ad cap. 4. v. 4. Ecclesiastæ, vbi similis est traiectio. Est enim in textu, יבחר *eligetur*, & ad marginem legendum adnotant, יחבר *coniungetur*. Vt etiam legit & interpretatur Chaldęus Interpres. 70 Interp. & S. Hieronymus dictionem quæ nunc est in margine secuti quoque sunt. Recentiores Interpretes Pagninus, Iunius, & Tremellius textualem vertentes, *cuicunque electo inter omnes viuentes*, &c. vt Pagninus & alij, *vter sit qui eligatur*, &c. Hanc traiectionem vocant Masorethæ in Critica sua, מוקדם ומאוחר, *anterius & posterius*: & similium traiectionum exempla sexaginta duo referunt in magna Masora in seriè literæ vau.

Sed iuuat paulò fusiùs hęc exempla persequi, vt quanta sit calumniatorum istorum impietas & stupiditas magis innotescat. Ezech. c. 36. v. 14. legitur in textu וגויך לא תכשלי עוד, *& gentes tuas non facies amplius impingere*. Notant Masorethæ

literis traiectis legendum esse, תשכלי, *orbabis*. 70 lectionem quæ nunc est in textu, aut non habuerunt, aut marginalem prætulerunt, vertunt enim, gentem tuam, οὐκ ἀτεκνώσεις ἔτι, *liberis non orbabis amplius*. Eandem quoque secutus est Chaldæus, לא תתכלין עוד, *non orbabunt amplius*. Sed priorem & textualem lectionem secutus est S. Hieronymus qui vertit, *gentem tuam non necabis vltra*. Hîc placuit neotericis Interpretibus, Pagnino, Iunio & Tremellio marginalem lectionem textuali præferre, sed non Ariæ Montano. An ideo falsationis accusabit quis 70 Interpretes, quod in versione sua dictionem non sunt interpretati quæ nunc textum occupat? quin potius totum illud discrimen codicum Hebraicorum varietati imputabit?

Ieremiæ c. 9. v. 8. contrarium obseruatur, 70 Interpretes, & Chaldæus dictionem textualẽ vt & S. Hieronymus sequuntur, non marginalem. חץ שוחט לשונם, S. Hieron. *Sagitta vulnerans lingua eorum*. Ita 70 Interpretes, Chaldæus, *Sicut sagitta acuta*. כגיר די מחריף, Iunius & Tremellius, *Culter iugulans*. At Masorethæ legendum adnotant שחוט, *extensum*, Pagninus & Arias, *Sagitta extensa*, ita Salo-

mon Iarki, sed Kimhi vtramque lectionem cõmentatur. Sic primo Paralip. c.27. v. 29. nomen proprium, שטרי, Setrai, Masorethæ dicunt legendum שרטי, Sertai, traiectis literis, sed dictionem quæ est in textu imitantur 70 Interpretes & S. Hieronymus. Denique Hieremiæ, cap.17. v.23. res aliter contingit: omnes Interpretes dictionem textualem deserunt, & marginalem interpretantur; scribitur in textu שומע, restituunt שמוע Masorethæ, quæ omnibus placuit, etiam interpreti Chaldæo. Nec mirum, prior enim manifestissimam mendam continet.

Cum igitur exemplis tam multis, & simillimis nitamur, quid impedit quominus dicamus 70 Interpretes in codice suo legisse literis traiectis רקדו *insultauerunt*, non autem דקרו, *transfixerunt*, aut tum temporis codices Hebræos eo loco lectionem duplicem exhibuisse, quarum vnam interpretati sunt Septuaginta, alteram Ioannes Apostolus, & S. Hieronymus. Dices forte, sed hanc non exhibent Masorethæ. Quasi verò omnes quotquot sunt exhibuerint. Post Masorethas Iudæi Orientales collegerunt plusquam ducentas quas Masorethæ aut ignorauerunt, aut

præterierunt. Ante Masorethas multæ & in Talmude, & in antiquis Midraschim, & in tractatu Scribarum occurrunt quas non commemorant. Plurimas quoque adnotant Biblia Veneta quas Masoretharum catalogi non continent. Sed de his nos alibi. Si Masorethæ hanc varietatem omiserunt, non omisit Chaldæus Interp. qui vertit, ויבעון מן קדמי על די אטלטלו, *Et deprecabuntur eum in quem motitarunt, & agitarunt se.* Sanè aliud non legit quam רקדו, salierunt, saltauerunt. Hoc propriè Chaldęis טלטל, vnde Rabbinis מטלטלים bona mobilia. Illa autem motus & agitationis significatio cæterarum huius verbi quæ multæ sunt, basis est, & radix. Nonnunquam enim significat, vagari, transferre, auellere, dispergere, expellere, sed nunquam transfigere.

Secunda variæ lectionis seu mendæ causa est facilis permutatio literarum ר & ד propter similitudinem, cuius permutationis Iudæi ipsi scribunt in sacro textu innumera exempla, vt hoc libello, & alibi docuimus. De hac varietate sic Drusius in notis ad parallela. *Porro* ἐξεκέντησαν, *id est, Daceru,* κατωρχήσαντο, *id est, Racedu. Error ex affinitate literarum Res & Daleth nihil*

certius. Hanc mendam vir Græcè & Hebraicè doctus 70 Interpretum impietati acceptam non refert, ſed vt faciunt quicunque non furunt, codicum propter literarum affinitatem varietati.

2. Diço, incertum eſſe quid 70 ſcripſerint: Antiquorum enim codicum alij habent vt adnotatum eſt, alij vtramque lectionem coniungunt. Quod factum eſſe in hac cauſa, & fieri poſſe notat Sixtus Amama in diſſertatione de iſtis varietatibus. *Non diſsimulabo tamen, loca quædam, licet admodum pauca, occurrere, in quibus vtriuſque lectionis in vnam verſionem conflatio non admodum incommoda videri poſsit. Ex Gr. Pſ. 22. 17. Chal. vocem* כארי *reddidit, momorderunt ſicut leo quaſi ſcriptum eſſet,* כארו כארי. Deinde alia ſuorum exempla refert qui verſionibus ſuis vtrãque lectionẽ inſeruerunt. Alij codices tantùm, *transfixerunt*, exhibent. Deinde Cyprianus ita legit, & Tertullianus nullam aliam lectionem agnouiſſe videtur, qui tamen vbique 70. Interpretum verſionem ſequuntur. 3, Mendam in 70 Interpretes irrepſiſſe quid prohibet dicere? Quis enim niſi fatuus, aut rerum iſtarum imperitus hoc nunquam contigiſſe affirmauit? Denique,

vtraque lectio ſiue Apoſtolica, ſiue Græcorum Interpretum non modo pia & ſancta eſt, ſed etiam vtraque & contextui Prophetæ, & Paſſioni Domini noſtri Ieſu apprimè conuenit, vt res per ſe manifeſta eſt, & explicat S. Hieronymus in hunc locum, & tractatu de optimo genere interpretandi. Quapropter vt graphicè & integrè non mutilatè Paſſio Domini noſtri per Prophetam depingatur, vtraque lectio coniungenda eſt. Iudica nunc Lector, an hæc ſit intoleranda Prophetiæ peruerſio, quæ tot myſteria Paſſionis Chriſti αὐτολεξὶ complectitur, atque etiam illud generatim quod S. Ioannes de transfixione expreſſit. Hinc manifeſtum eſt iſtis hominibus aduerſus omnem antiquitatem odio efferatis non rationem, ſed furorem arma miniſtraſſe, eoſque ἢ παραφρονεῖν ἐπιὸν, ἢ κορυβαντιᾷ, vel potius vtroque pathemate præcipites agi & ferri.

Sed nullibi id euidentius apparet quàm in hoc poſtremo loco, ſeu potius poſtrema blaſphemia. Comparant, non dicam verſum 13. cap. 40. Iſaiæ, ſed iſtius verſus dictionē vnicam, איש עצתו, *vir conſilij eius*, & Iobi 41. v. 2. hæc verba, מי הקדימני ואשלם *Quis præceſſit me, & perficiam*, cum verſu

35. cap. 11. ad Romanos, scribuntque de Iobi verbis, *Hunc locum indignis modis tractauerunt Sept. sic vertentes*, ἢ δέδοικας, ὅτι ἡτοίμασταί μοι. *Nonne times quia mihi paratum est.* An sanæ mentis illis supersit vel minima facula, considera Lector. Versus integros ob oculos tuos, repræsentabo, Rom. 11. 35. *Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis Consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Ita loquitur S. Paulus, Isaias autem vbi illum citant, sic scribit, vt Latinè vertunt Iunius & Tremellius Hollandi Doctores. *Quis expendit spiritum Iehouæ? vt vir à consiliis ei docuit eum?* Iob verò hoc modo, *Quis præuenit me, & rependam, quidquid subest toti cælo, meum est.* Dici non immeritò potest S. Paulum hæc testimonia non citare, nec iuxta Græcos, nec iuxta Hebræos, imò nec iuxta aliquam aliam versionem, aut autorem sacrum. Nihil enim prorsus eo loco citat Apostolus, sed tantùm marte proprio loquitur, planéque coniunctus est versus ille 34. cum 33. & 35. in eandem sententiam, & in eundem finem. Quare simili ratione istos versus citationem oporteret esse alicuius Prophetæ cum in 34. versu non magis quàm in illis duobus citationis

mentio fiat. Nego igitur Apostolum eo versu vel loco aliquid citare, quod ex textu primùm apparet, deinde ab experientia probatur. Nec enim si autoris vnius dictio vna aut altera in periodo forte fortuna cum alterius autoris antiquioris verbis, eadem aut similis occurrit, ideo statim fingenda est citatio; alioquin omnia citationibus plena essent.

Non inuiti tamen concedimus illis. Apostolum ad cuiusdam Prophetæ verba alludere. Quisnam ille sit cum non explicet, nec vlla coniectura se alludere aut citare significet, si allusio illa cum libris Prophetarum quos habemus non quadret, ad libros qui perierunt non modo Sanctorum Patrum exemplo, sed etiam hæreticorum & Iudæorum commodè referri potest. Sed tamen eiusmodi allusiones concedere nullo modo necesse est. Verùm alludere concedamus: Prior pars non ad Hebreum textum, sed ad versionem Græcam alludet, cum vtrobique non modo sit idem sensus, sed eadem verba; sic 70. τὶς ἔγνω νοῦν κυρίου, καὶ τὶς αὐτοῦ σύμβουλος ἐγένετο. In posteriori pericope si ad verba Iobi allusit Apostolus, ea Paraphrasticè est interpretatus: nec enim cum 70 Interpretibus,

nec cum Hebræo textu conueniunt. Vt blasphemiæ suæ fucum facerēt, מי הקדמני vertunt, velut verbo tenus, *quis antè dedit mihi*, contra verbi notionem quod dare nunquam significat, nisi contextus orationis præuentionē illam clarioris intelligentiæ causâ sic interpretari suadeat. Sic quidem vertit S. Hieronymus, *Quis ante dedit mihi, & reddam ei.* Sed in loco obscuro sensum verbis conformem periphrasticè secutus est.

Ego vero plura dico, & demonstrabo, Versionis Græcæ istum hemistichium magis κατὰ λέξιν cum textu Hebræo vt nunc hîc se habet, conuenire, quam sancti Pauli pericope. Omnis difficultas in duarum dictionum explicatione consistit. Prior est verbum קדם, quod vt plurimùm significat, præuenire, anteuertere, præire. Nonnunquam tamen occurrere explicari debet, vt Deuteron. 23. v. 4. לא קדמו אתכם בלחם ובמים, *Non occurrerant vobis in pane & aqua*. Sic interpretatur S. Hieronymus eô loco. Septuaginta, μὴ συναντῆσαι αὐτοὺς ὑμῖν. Sic Iunius & Tremellius; sic Paraphrastes Chaldæus, לא ערעו יתכון בלחמא ובמיא. Sic & Saadias in versione Pentateuchi Arabica; resque ipsa interpretatio-

nem istam exigit. Eadem est ratio Nehemiæ 13. 2. Sic vertunt 70 Interpretes, S. Hieronymus, Iunius & Tremellius. In hunc librum nulla est Paraphrasis Chaldaica. Item Isaiæ 21. 14. res ipsa id postulat, sicque vertunt 70 & S. Hieronymus, *Occurrentes sitienti ferte aquam. Qui habitatis terram Austri cum panibus occurrite fugienti*, בלחמו קדמו נדד. Kimhi in hunc locum sic interpretatur, אומר דרך משל למים שיבאו לקראת צמא כי בני קדר יהיו גולים ונודדים במדבר ולא ימצאו מים לשתות וישבי ארץ תימא כשימצאום גולים ונודדים צריך שיקדמום בלחמם, *Hoc dicit de aquis per modum prouerbij vt eant obuiam sitienti, Nam filij Cedar migrant & vagantur per desertum, nec inueniunt aquas ad bibendum. Ideo cum incolæ terræ Thema inueniunt eos errabundos necesse est vt illis occurrant cum pane suo.* Præuenire non significat, nam ait incolas Cedar iam Arabes inuenisse. Denique idem necessariò significat Amos 9. v. 10. *Gladio peribunt omnes peccatores populi mei, dicentes*, לא תגיש ותקדים בעדינו הרעה, *Non appropinquabit neque occurret aduersum nos malum.* Thargum לא תיתי ותוחי עלנא בישתה: *Non ve-*

nite neque festinabit aduersum nos malum. Ita R. Salomon in hunc locum, Sed Kimhi expressius id explicat, על אותם החטאים שבדורו אמ׳ הנביא ולא כל החוטאים כי רבים מהם נלו אלא החוטאים שהיו אומרים לא תגיש ותקדים בעדינו הרעה שהיו מתיאשים מן הפורענות והיו אומרים לא תקרב ותמהר בעדינו הרעה ונעשה כתאות לבינו ואם תבא הרעה לא תבא בעבור מעשינו אלא מקרה הוא בעולם כמו שאמר בתורה והלכתם עמי בקרי. *Hæc dicit Propheta de ijs peccatoribus qui eo tempore viuebant & non de omnibus peccatoribus. Eorum enim multi in captiuitatem abducti fuerant. Sed de peccatoribus qui dicebant, Non appropinquabit, nec occurret nobis malum, & contemnebant retributiones, ideoque dicebant, non appropinquabit, neque festinabit aduersum nos malum, ideo faciemus iuxta desiderium cordis nostri. Quod si veniat malum, non veniet propter opera nostra, sed accidens erit quale hominibus solet accidere. Simile est quod dicitur in lege, & ambulaueritis mecum temerè & ex aduerso.* Comparat hanc phrasim ותקדים בעדינו, Kimhi cum ea quę sæpissime vsurpatur. Leuit. 26. הלך בקרי, ire temerè in alterius occursum, vt

omnes Interpretes eo loco sic explicant.

Manifestissimum est igitur eleganter מי הקדימני, explicari, Quis ibit in occursum meum, Quis temerè mihi occurret, siue, quis mihi resistet? temerariam & peruicacem resistentiam significat. Verbi שלם, significationes sunt notissimæ: frequentissima est complere, perficere, absoluere. Vsitatæ, sed minus frequenter retribuere, rependere, salutare, pacem habere. Eleganter igitur Iobi hemistichius ille sic redditur, Quis aduersum me ibit, & perficiet, siue absoluet, scilicet, opus suum. Nunc Septuaginta interpretationem compara Lector, *Quis resistet mihi, & sustinebit?* Græcè καὶ ὑπομενεῖ, quod eleganter de eo qui hostilem impetum sustinet, dicitur. Quibus verbis non modo expressius sed elegantius verba mentemque Prophetæ explicare poterant sancti illi Interpretes? S. Paulus τοῦ שלם, secundam significationem secutus est, cum vertit, *& retribuetur*, addiditque sensus causâ, *ei*. Verbi verò קדם, priorem significationem cum vertit, *quis prior dedit illi*, tacitè subaudiens *dono*, vel quid simile. Quis præuenit eum dono, hoc est, quis prior dedit illi. Eandem interpretationem secutus est S. Hieronymus.

mus. Huius igitur hemiſtichij duplex eſt & elegans ſenſus literalis : vnum ſecuti ſunt 70 Interpretes, alterum SS. Paulus & Hieronymus; ſed 70 Interpretes literæ preſſiùs inhæſerunt; Paulus & Hieronymus ad periphraſim magis diuerterunt. Quàm exactè verba ſenſumque reddiderint 70 ex præcedente hemiſtichio euidentius adhuc apparet, *Quis enim reſiſtere poteſt vultui meo.* Aut vt illi vertunt, *Quis enim qui mihi ex aduerſo ſteterit? vel quis reſiſtet mihi, & ſuſtinebit?* S. Paulus vſus eſt duplici perſonarum enallage, 70 vna, S. Hieronymus nulla. Perſonarum enallagen vſurpaſſe videntur Septuaginta, quia ואשלם, legerunt in hiphil, hoc eſt, *& perficere faciam eum*, ſeu, *& ſuſtinere faciam eum*, quod ineleganter Græcè & Latinè diceretur, ſed eleganter, *quis ſuſtinebit?*

In iſtis hominibus, Lector, quid nunc magis mirêre, an ignorantiam, an impudentiam? Ignorantiſſimi ſanè ſunt, vt tot argumenta demonſtrant: Vix enim garruli homines de rebus paulò reconditis aliquid pronuntiare poſſunt, quin fere tot euomant ignorantiæ monſtra, quot verba, ſed ignorantiam longè ſuperant temeritas & impudentia. Viros ſanctiſſimos & inte-

N

gerrimos quos hactenus nulli Iudæi, nulli Hæretici criminis accusarunt, præuaricationis & sacrorum codicum adulterationis reos agunt Taylor & Bootius omnium bipedum & quadrupedum impudentissimi. Qui Septuaginta istis senioribus infensissimi fuerunt, erroris & ignorantiæ eorum versionem insimularunt, sed bilis suæ acorem vltra non sunt eiaculati. Alij non personas, sed versionem tantùm vellicarunt; Versionem olim fidam & integram fuisse, nunc Hæreticorum fraude, & temporum iniuria passim esse mendosam, adulteratam, lacunosam. Nunc primùm post bis mille fere annos exorti sunt homines βωμολοχοὶ qui sacra, prophanaque susque deque habentes os in cœlum ponunt, & sacrilegè aperiunt, vt illius incolas & fulgentissima sidera blasphemiis, sed in ipsorum caput ruituris, conspuant.

Quibus argumentis freti tanta verborum scelera deblaterarunt, audisti Lector; quàm caduca, quàm futilia, quàm nulla fuerint, vidisti. Antequam tamen de hac impietate finem dicendi faciam, aliûs stolidissimæ, & ignorantissimæ hallucinationis te admonebo. *Hunc locum*, inquiunt Iob 41. 2. *indignis modis tractauerunt Sept. sic*

vertentes, Οὐ δέδοικας, ὅτι ἡτοίμασταί μοι: *Nonne times, quia mihi paratum est.* ô insulsam versuum comparationem. Ista 70 Interpretum verba non sunt interpretatio versus 2. cap. 41. sed prioris hemistichij versus primi. Sequitur enim iuxta Pagnini versionem, *Et quis est qui coram me stet?* Et iuxta versionem Græcam, *quis enim qui mihi ex aduerso steterit?* Deinde sequitur versus secundus iuxta Pagninum, *Quis præcessit me & perficiam, quod est sub omni cælo meum est.* Iuxta 70. *vel quis resistet mihi, & sustinebit, si vniuersa quæ sub cælo mea est.* subaudiunt terram. Discriminis quod est in priori pericope ratio reddita est. Hæc sunt verba quæ secundo versui respondent, non quæ retulistis. Cuius rei vos admonere poterat editio Parisiensis, cui nota 2. versus apposita est. Eos fefellit initium capitis, quod ab vltimo versu præcedentis capitis iuxta Hebraicum, incipit. Accidit hoc, vt opinor, quod verba ista vix cum versu 28. cap. 40. conuenire videantur. Hebraismi igitur tyrunculi vltimum versum præcedentis capitis quia initium ducit in editione Romana capitis sequentis, compararunt cum primo versu cap. 41. iuxta Hebraicum, & consequenter primum

cum secundo, & secundum cum tertio. Quàm temeraria est istorum hominum ignorantia! Verba Hebræa cum Græcis & Latinis conferre nequeunt; & 72 Seniores Iudæos quibus Hebræa dialectus erat vernacula, erroris accusare audent homines Septentrionales! Sic Asini horrendum

-----*strident Aquilone rudentes.*

Si quis interroget, Vnde ergo Septuaginta desumpserunt hæc verba, *Non timuisti quia paratus est mihi*, Hebraica verba paulò attentius consideranti, facilis responsio. Interpretatio sunt iuxta versuum & dictionum ordinem, istorum, לא אכזר כי יעורנו. Quæ S. Hieronymus sic vertit, *Non quasi crudelis suscitabo eum.* Pagninus pressiùs ad neotericum textum, *Non est fortis qui suscitet eum.* Vix minus accuratè sensum verborum istorum reddit versio Græca. אכזר, rem terribilem, & horrendam significat, & consequenter etiam crudelem pro materia subiecta. Radix autem עור, non modo excitare & euigilare, sed etiam, suscitare, restaurare, reficere, vt ex Dictionariis manifestum est. Sensus igitur est, *Num timendum tibi quod instaurauerit eum*, vel, *suscitauerit eum*, scilicet, Deus.

Cui propositioni est planè ἰσοδυναμοῦσα hæc, *Non timuisti, quia paratus est mihi.* Hæc Septuaginta Interpretum occasione dicta sunto. Non est enim nobis animus camarinam istam, καὶ μυρμηκιὰν commouere, & istorum hominum ἀκηδίας, ἀτοχίας, & innumera supinæ ignorantiæ portenta quæ passim in istis testimoniorum collationibus occurrunt, propalam edere. Ex τοῦ κρασπέδου, vt dicitur, περὶ τοῦ ὑφάσματος iudicium ferto. Cum enim in iis omnibus nulla sit mica salis, & præfationem nostram non attingant, sed ab ea toto cœlo aberrent, nec est, nec esse debet nobis curæ quid friuoli homines ineptiant.

SECTIONIS 8. ELENCHVS.

Loci in Hebræo à nobis corruptelæ notati longè, plurium specimina sunt. Ex ijs rectè colligi non potest textum Hebræum esse corruptum, sed rectè ad Hebræum textum solum versiones antiquas non esse exigendas. Assertio sinceritatis loci famosi in Ps. 39. confutatur. Aduersar. strophæ perpetuæ, blasphemia in 70 Interpretes, mens linguæ ἐλεγκτική. Catalogorum iocularis περιεργία.

INitio sectionis ex testimoniorum catalogo ratiocinationem collegerunt, cu-

ius vim excussimus sectione præcedente. Deinde bifida hinc argumentatione in nos insurgunt. *Siue de pauculis testimoniis ferenda est sententia contra ipsorum codicum vniuersitatem ita vt absolutè pro corruptis habenda sint illa volumina in quibus nonnulla extant quæ non satis conueniunt cum allegationibus in N. T. factis, cum Hebræis libris condemnandi pariter sunt & Græci.* Consequentiam admittimus lubentes: Sed hoc absurdum nunquam nobis venit in mentem vt ex paucis illis testimoniis codices Hebræos pronuntiaremus, vel omninò corruptos, vel absolutè corruptos, vt iam multis testati sumus, nec nobis vllum verbum excidit quo id probari possit. Pergunt, *Siue hoc examen non vlterius quàm ad ipsos locos citatos pertinet, Non hîc quidem peius agitur cum Hebraica veritate, quàm cum Græca versione.* Ex allatis corruptis testimoniis nec mens nostra fuit vniuersos codices Hebræos corruptionis accusare, nec in illis quæ attulimus testimoniis subsistere, quasi mendarum vlcus vltra non se diffudisset, aut diffundere posset.

Præfatio nostra hoc euidentissimè docet numeris 40. 41. 42. vbi Eliam Leui-

tam 848. lectionum varietates enumerare scripsimus : RR. Præterea Kimhium & Mosen filium Maimonis aliosque in eundem finem retulimus. Sed egregiis istis scriptoribus quibus ex fulgore fumum dare solemne est, sic semper rhetoricari lubet. Verùm mens nostra fuit ex illis testimoniis velut ex stipula demonstrare codices Hebræos non esse prorsus integros, sed eorum Scribas non secus ac Græci, aut Latini nonnunquam scribendo παραγράφειν; atque ideo vt in notatis locis corrupti sunt, sic & in aliis id contingere potuisse. Itaque perperam omnes hæreticos facere qui vulgatam Ecclesiæ versionem vbicunque ab Hebræo differt, aut corruptelæ arguunt, aut ipsius autorem, erroris. Si enim Hebræus textus, vt nunc se habet, multis locis conuincitur vitiosus esse, manifestum est ipsum solum, vt nunc se habet, omnium antiquarum interpretationum regulam esse non posse, nec eas ad illius libellam & præscriptum esse vbique dirigendas & exigendas. Imò vlteriùs manifestè sequitur ipsum Hebræum textum meritò nonnunquam ex ipsis antiquis interpretationibus corrigi posse. De nouis interpretationibus aliud est iudicium

cum ex Hebræo textu vt nunc extat depromptæ ſint. Duplicis iſtius conſequentis demonſtratio mens fuit noſtra primaria, imò ſolus & vnicus ſcopus non modo in præfatione illa, ſed etiam in aliis quæ de Hebræi textus mendis & corruptelis ſcripſimus. Sæpius in ſcriptis ſcopum noſtrum euidentiſſimè expreſſimus : ſed neſcio quis præceps furor quo ſemper aguntur , eorum oculos ſic excæcauit, vt quod legunt non videant : aut hoc malignè diſſimularunt , vt effrænatius caninæ ſuæ loquacitati habenas laxarent, ἐν τῷ σκότῳ, vt dicitur, ὀρχούμενοι. Addunt, *non hic peius agi cum Hebraica veritate, quàm cum Græca verſione.* Iſtam comparationem nunquam inſtituimus, Mendas plurimas Hebræum textum inuaſiſſe ſcripſimus: An plures an pauciores Græcam verſionem inuaſerint nunquam vel verbulo innuimus.

Iterùm blaſphemiam ſuam in 70 Interpretes euomunt, *Diuerſas*, inquiunt, *illuſtriſſimas de Chriſto Ieſu Prophetias planè peruerterunt Sept. quas propterea non ex ipſis, ſed ex Hebraica veritate allegant Apoſtoli & Euangeliſtæ.* Hoc vnum nunc illis reſpondebo quod olim aliquis Catonem ebrie-

tatis accuſanti reſpondit; facilius ebrietatem perſuadebis eſſe virtutem quàm Catonem ebrioſum. Idem illis reſponſum eſto, facilius ea loca quæ in 70 Interpretibus adulterationis inſimulant ſincera eſſe perſuadebunt, quàm 70 Interpretes adulteratores. Vt axiomati ſuo colorem aliquem inducant homines ignariſſimi illud effato abſurdiſſimo fulciunt, quod & experientia teſte, & ſuorum ſuffragiis euidentiſſimæ falſitatis conuincitur, Nimirum, in iis teſtimoniis vbi Græcum textum non Hebraicum Apoſtoli ſequuntur nullum reperiri poſſe, *in quo aliquid plus aut expreſſius de Chriſto dicatur, quàm in Hebraica veritate.* Si ſincerum amicum iſti ſinceritatis Hebraicæ zelotypi nacti fuiſſent, hoc antiquum monitum eorum auribus ſæpius ingeminaſſet,

Quam quiſquis norit artem in hac ſe exerceat.

Hanc artem nunquam didiciſtis; humeri veſtri his armis pares non ſunt, eorum vſum non habetis: diu diſcite quod eloquamini. De iſtius propoſitionis temeritate iam verba fecimus prioris partis c. 11. fuſiuſque de ea dicemus in concluſione Diatribes noſtræ. Nunc locum ab iis quo

id probent, electum examinemus.

Hic solùm sectione aliquid præstant eorum quæ toto libro sibi proposuerunt agenda. Ante hanc sectionem & post eam extra oleas semper vagantur, neque cœlum neque terram attingunt. Hîc semel tantùm scopum suum vt sphæra planum in vnico scilicet puncto feriunt: Quàm dextrè, examinemus. Vt propositionem suam confirment ex multis locis quos in præfatione nostra obieceramus, vnicum opponunt sibi Psal. scilicet 39. aut 40. versus 7. 8. quos citat Apostolus cap. 10. Epist. ad Hebręos. Verba quibus hæret difficultas hæc sunt, sic refert Apostolus, *corpus autem aptasti mihi*, Hebraicè autem nunc legitur, *Aures autem fodisti mihi.* Dixeram in præfatione nu. 29. argumentationem Apostoli qua colligit, voluntaria corporis Christi oblatione nos esse sanctificatos, si iuxta verba Hebraica perpendatur penitus labefactari. Illi verò contendunt non modo non labefactari, sed *iis validiùs & apertiùs confirmari quam iis quæ 70 pro illis reposuerunt.* Sic assumunt, *Verba illa corpus adaptasti mihi nihil amplius significant, nisi Christi ἐνανθρώπησιν, & assumptionem naturæ humanæ, in qua seipsum pro sacrificio obla-*

turus esset. Ast illa aures forasti mihi, præterquam tantundem indicant, insuper etiam adsignificant perfectissimam Christi obedientiam quæ & in illa psalmi parte præcipuè inculcatur, quod vel v. 9. docet, facere voluntatem tuam Deus mi concupiui, & Apostolicæ demonstrationis vnicum est fundamentum. Itaque solutionis ipsorum duo sunt fundamenta: Prius, verba Psalmi vt ea refert Apostolus non magis Christi Incarnationem significare, quàm vt in Hebraico loguntur. Posterius, Apostolicæ demonstrationis vnicum fundamentum esse ea verba quæ obedientiam Christi significant.

Ante omnia ipsos rogo, si validiùs & apertiùs verba Hebraica demõstrationem Apostolicam confirmant, quamobrem Apostolus cum Hebræis agens Psalmographi verba iuxta 70 Interpretes citauit, non iuxta Hebraicum, si modo, vt isti tam peruicaciter contendunt, aliter tum in Hebraico non legebatur, quàm nunc legitur? relege in eundem finem quæ prioris partis c. 11. ex Iunio adnotata sunt. Deinde si peruerterunt 70 Psalmographi verba, atque ex claris & perspicuis obscura & perplexa reddiderunt, quamobrem Apostolus ea referendo pristino nitori non

restituit? Denique quomodo constare potest id quod paucis antea verbis dixerant, Apostolos Hebraicam veritatem non 70. textum allegare vbi aliquid in Hebræo textu peruerterant?

Sed duo ipsorum fundamenta examinemus; Vix enim vnquam aliquis contra manifestissimam veritatem, atque vt ita dicam, contra solem ipsum impudentius oblocutus est. Volunt hæc verba, *aures perforasti mihi*, incarnationem Christi ex æquo cum istis, *corpus aptasti mihi* indicare. Ipsorum ratio est, *ista enim phrasis nisi de homine dici non potest*. Egregia ratio. Quidquid de solo homine dici potest ex æquo Christi incarnationem significat cum his verbis, *corpus aptasti mihi*. Risus de solo homine dicitur, ergo incarnationem Christi ex æquo cum his verbis significat. Prætereà fallissima ratio. Phrasis illa de Angelis dici potest quibus scriptura manus, brachia, vocem, cum hominibus sermocinationem perpetuò attribuit, & quod hîc maximè considerandum, perfectissimam Deo obedientiam. Quapropter cum phrasis illa de homine ipso intellecta, sit prorsus metaphorica, quidni & eâdem metaphora de Angelo ex æquo dici possit. Demon-

strant verò de solo homine phrasim istam enunciari posse. Nam inquiunt, *apertè minorem se Deo facit, qui hæc loquitur.* Insulsè. Nũquid Angelus Deo minor non est? Sed Ariano quid respondebunt asserenti hoc de incarnatione Domini nostri non esse explicandum? An Christum fateri reformidabit Patre minorem? Quid aliis multis hæreticis qui sacrosanctam Iesu Christi ἐνανθρώπησιν blasphemant? Quid denique Iudæis aduersantibus respondebunt? Eorum enim hîc potissimùm est habenda ratio. Illi Messiæ incarnationem & diuinitatem non modo negant, sed etiam purum putum hominem futurum, at maximum Prophetam prædicabant, atque etiam nunc prædicant. Aduersus eos ex his Psalmi 39. verbis iuxta 70 editionem, *hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, &c.* probat Apostolus ἐνσαρκώσεως filij Dei necessitatem, vt abrogatis sacrificiis Leuiticis corpus suum Deo Patri in sacrificium consecraret, validissimo, vt vides, argumento: Euidenter enim Messiam ante corporis assumptionem apud Patrem extitisse conuincunt, corpusque vt illud in sacrificium offerret, assumpsisse, quod posterius infra pluribus explicabitur. Si

verò legas, vt fert textus Hebræus, *Aures autem perforasti mihi*, Messiæ ante ἐνσάρκωσιν subsistentis necessitas ex hoc loco prorsus euanescit, cum hæc verba de quolibet homine pio nedum de Propheta dici possint. Deinde tota ruit argumenti Apostolici moles qui Messiam hominem factum probat hoc loco, non vt ibi subsistat, sed vt hinc corporis Messiæ in sacrificium oblationem qua cessant omnia Leuitica, demonstret. Sed textus Hebraici verba, vt palam est, minus adhuc ad verum sacrificium quàm ad incarnationem pertinere possunt, cum solam, vt ipsi fatentur, Deo præstandam obedientiam demonstrent infra de hoc argumento.

Aduersus Iudæos, & eos Hæreticos qui Christi incarnationem negant, argumentum ex hoc loco iuxta Lectionem Hebraicam petitum dixi nihil prorsus colligere. Nam si quis hoc religionis Christianæ mysterium confiteatur, licet ad id ex huius loci verbis adigi non possit, facilè tamen ex religionis affectione per, *aures*, synecdochicè totum corpus esse intelligendum fatebitur, vt nonnulli Commentatores lectionem S. Pauli cum Hebraica conciliaturi interpretantur. Quanquam enim hæc

lectio inſtituto Apoſtolico eo loco per ſe non conueniat, ſancta tamen eſt, & pia, & ad eam quam Apoſtolus expreſſit, tropicè quodammodo referri poteſt. Tropus autem neceſſariò duplex ineſt huic phraſi de Chriſto hoc loco enuntiatæ, ſynecdoche qua aures pro toto corpore ſumuntur; & metaphora qua aures forare pro obedientia. Virum quemcumque cordatum, cuius mens furore, aut alia animi impotentia turbata non eſt, interrogo, Num argumenti ex propria atque ex figurata locutione petiti idem ſit robur, eadem conſequentiæ neceſsitas? Num ex æquo Domini Ieſu incarnationem ſignificent, & ſacrificium Corporis Chriſti taurorum ſacrificiis opponant hæ duæ propoſitiones, *Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi*, Et, *Hoſtiam & oblationem noluiſti, aures autem foraſti mihi*. Vides, Lector, quo iure mihi inſultent. *Nam quæ de loco Pſalmi 40. gannit Morinus nihil aliud niſi ſtultitiam eius ac vecordiam produnt*. & paulò poſt, *Hæc, inquam, vt omnia Morini maniſeſtiſſima atque impudentiſſima falſitate laborant*.

Denique falſum eſt phraſim illam, vt Hebraicè nunc legitur, de diuinitate in-

telligi non posse. *Ista*, inquiunt, *phrasis nisi de homine dici non potest; neque in diuinitatem vllo modo quadrat, &c.* Verbum enim כרה quod exhibet Iudæorum textus, homonymum est. Fodere quidem significat, & forare, sed etiam sæpe, emere, comparare, præparare, vt videre est, Genes. 50. 5. Deuteron. 2. 6. 4. Reg. 6. 23. 2. Paralipom. 16. 14. Iob 40. 25. Oseæ 3. 2. Si quis igitur interpretetur, *aures autem comparasti mihi*, vel *præparasti mihi*, hoc est, Hostiam & oblationem noluisti, Pater, sed fecisti vt obedientia mihi præstaretur. Tunc dixi, Ecce venio, &c. Quid impedit quo minus hæc de Christi diuinitate ἀνθρωποπαθῶς intelligantur? Omnia & sensui & verbis textus apposite quadrant; nec vlla est incarnationis mentio siue metaphoricè, siue synecdochicè, hoc intelligas; multò minus si propriè. Hanc interpretationẽ respexisse videtur S. Hieronymus in vulgata Psalmorũ versione quum sic vertit, *Aures autem perfecisti mihi*. In Scriptura autem aures Deo passim tribuuntur, & aures, auditusque obedientiam significant. De hac τῆ כרה significatione ita Iunius 1. 3. parallel. *Si quis illius verbi, quod perfodere vel perforare exponitur vulgò, hanc neget esse significa-*

significationem aptare, comparare, & similia, is se imperitum Hebrææ linguæ demonstraturus est.

Alterum solutionis eorum fundamentum excutiamus: volunt vim omnem demonstrationis Apostolicæ in verbis obedientiam Christi significantibus inhærere. Quo iacto fundamento priori sanè non erat opus. Vt sententiam suam demonstrent, textum integrum primò Græcè, deinde Latinè referunt. Sed procul dubio cum ista scripserunt, iis contingit istud Platonicum in Theæteto ex Euripide, ἡ μὲν αὐτῶν γλῶττα ἀνέλεγκτος ἦν, ἡ δὲ φρὴν οὐκ ἀνέλεγκτος. Procacissimæ igitur stultitiæ eorum linguam, verbaque conuincamus.

Scripsimus in præfatione nostra Apostoli mentem fuisse ex hoc loco demonstrare nos volũtaria corporis Christi oblatione fuisse sanctificatos. Itaque duo demonstrat ibi Apostolus, & oblationem corporis Christi efficacem fuisse, non autem sacrificia Iudaica, & oblatione illa summam Deo Patri obedientiam præstitisse, hoc est, voluntariam fuisse: sed ea verba, vt nunc in Hebræo textu leguntur, de Christi sacrificio nullam faciunt men-

tionem, quod tamen potissimum sibi proponebat Apostolus. Non est igitur idem nunc Hebræus textus eo loco, qui erat cum scribebat Apostolus. Aduersarij contendunt eo loco de sacrificio corporis Christi nihil prorsus agere Apostolum, sed obedientem Patri Christum fuisse sibi tantùm demonstrandum proponere. Nemo dubitare potest præcipuum Apostoli scopum tota Epistola fuisse, omnia sacrificia Leuitica vnico Iesu Christi sacrificio fuisse completa & consummata; Illa tantùm huius vmbram fuisse & figuram. Idem capite nono asseruit, & multis verbis repetit Apostolus eo capite quod est nobis præ manibus, legem bonorum vmbram fuisse, hostias quotannis offerri solitas, eo quod conscientias mundare non possent, *Impossibile enim*, inquit, *sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* Hinc Apostolus sacrificij Christi necessitatem aduersus sacrificia Leuitica ex Psal. 39. demonstraturus immediatè præcedentibus verba de quibus disputamus subiungit, *Ideo ingrediens mundum dicit, Hostiam, & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi.* Quam hostiam Deus noluisse dicitur? sanè Leuiticam, de qua quatuor immedia-

tè præcedentes versus loquuntur. Nam aut Leuiticam intelligit, aut Iesu Christi. Posterius dicere nefas est; Ergo prius asserendum. Deinde quò refertur, *ideo*, nonne ad antecedentia. Quia scilicet sacrificia vmbra sunt, *nunquam possunt accedentes perfectos facere*, &c. Ideo ista noluit Deus, sed corpus Christo aptauit, quo posset veram & perfectam oblationem Deo Patri offerre, summa obedientia & gratitudine corpus quod à Deo acceperat Deo in sacrificium offerens. Nam vt argumentatur Apostolus eadem Epistola c. 8. 3. *Omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur. Vnde necesse est & hunc habere aliquid quod offerat.* Quid autem illud est? Explicat Apostolus corpus quod illi Deus aptauit, Hircorum & Taurorum loco offerendum. Opponitur igitur hîc sacrificium Christi Leuiticis sacrificiis.

Ea quæ sequuntur id magis ac magis demonstrant. *Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Quæ est illa Dei voluntas respectu Christi quæ sacrificiis Leuiticis opponitur, illaque abrogat? quam Deus repudiatis antiquis sacrificiis gratis-

ſimam habuit? Voluntaria corporis Chriſti pro nobis in ſacrificium oblatio. Ioan. 10. *Sicut nouit me Pater, & ego agnoſco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis, &c. Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, &c. Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Hæc eſt voluntas Patris & laus Domini noſtri ἀλάλητος quæ præcipuè commendatur, Iſa. 53. *Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum, &c. Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, &c. Fortium diuidet ſpolia pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam.* Quid verbis Pauli 2. cap. Epiſt. ad Philipp. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, Propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* Illa igitur Dei voluntas, eſt qua Deus Filium ſuum mori voluit. Obedientia illa Chriſti eſt, qua corpus quod illi traditum fuerat iuxta Dei voluntatem in ſacrificium pro nobis obtulit.

Verùm quid opus aliunde huius rei teſtimonium quærere cum in eo ipſo loco comparationis redditio, & teſtimonij applicatio id meridiana luce multò clarius explicent, En verba immediatè ſequentia, *Superius dicens, Quia hoſtias & oblationes,*

& holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi, Ecce venio vt faciam Deus voluntatem tuam. Redditio igitur & loci allati applicatio, est oppositio hostiarum Leuiticarum voluntati Dei, & earum abrogatio. Sed id quod sacrificia Leuitica abrogat, est Christi sacrificiū. Succedit in textu, *aufert primum vt sequens statuat*, primum, scilicet testamentum, & sacrificium Leuiticum, quod sæpius sic vocatur capite præcedente v. 1. 6. 15. 18. vt sequens statuat, sacrificium scilicet corporis Christi, in quo & per quod nouum testamentum stabilitum est. Itaque nihil aliud hîc significat, aut significare potest voluntas illa Dei & Christi obedientia quàm crucis sacrificium; nec sermo hîc fit de obedientia Christi, nisi qua sacrificium illud respicit. Quid verbis explicantibus opus est, cum ea quæ immediatè sequuntur omni explicatione clariora sint, *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.* Semel adijcit, vt opponat iis quæ initio capitis cum de hac materia dicere orsus est, scripserat, sacrificia Leuitica propter sui imperfectionem sæpius offerri oportuisse. Id quod iterùm verbis im-

mediatè ſequentibus repetit, vt & redditionem quam contendimus, *Et omnis quidem Sacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata. Hic autem vnam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei.* Quæ eodem modo dixit & applicuit toto capite præcedente, & præſertim in fine v. 25. 26. 27. 28. & hîc repetit, nouoque argumento probat ex Pſalmo 39. petito.

Vides igitur Lector quàm falsò dixerint, *In hiſce verbis Chriſti obedientiam ſignificantibus totum demonſtrationis illic à ſe inſtitutæ robur cubare*, & conſequenter lectione Hebræa argumenti Apoſtolici hoc loco aciem prorſus eſſe hebetatam. Vnas ſuæ abſurditati ſuppetias quærunt ex v. 5. cap. 50. Iſaiæ, *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorſum non abij*. Non negamus aperire aurem, & aures fodere obedientiam ſignificare. Sed dicimus Apoſtolum crucis obedientiam ex Pſalmo 39. probare, in quo ſi corporis nomen cum dictione *aures*, commutes, nulla crucis ſupererit mentio. Solet autem Scriptura cum de obedientia Domini noſtri Ieſu Chriſti verba facit corpus in cruce

oblatum ſemper commemorare, vt vel eo ipſo loco quem produnt; ſequitur enim apud Iſaiam v. 6. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.*

Eadem omnino eſt Iunij in parallelis ſententia. Res ait rebus & actiones actionibus opponi. *Rerum inter ſe oppoſitio hæc eſt, ſacrificium & oblationem Deum noluiſſe, ſed tantum voluiſſe, & acceptum habuiſſe ſeruum ſuum cui aptauit corpus, vt conuenientes actiones voluntati Dei in eo perficeret. Actionum oppoſitio fit conſimiliter, quum holocauſta quidem & hoſtias pro peccato fuiſſe oblatas oſtendit Chriſtus; ſed inani & irrito effectu, ac propterea Chriſtum videntem vt legis impotentia nihil poteſt in carne, ſeipſum in ſuo illo corpore, quod per ſpiritum ipſi aptauit Pater, ſimile carni peccati ſtitiſſe coram Deo & Patre vt in eodem ſuo corpore faceret voluntatem Dei, id eſt, ſuum illud corpus vel carnem exhiberet, in qua condemnaretur peccatum noſtrum, & nos in perpetuum ſanctificaremur vnica oblatione illius.* Paulò poſt idem alio modo explicat. Scribit in Pſalmo membra duo à Dauide prædicari, ſubiectum & prędicatum. Subiectum eſſe perſonam Chriſti

qui corpus ſibi aſſumpſit in vnitatem perſonæ vt per illud nos à maledictione redimeret. Prędicatum, quod illa perſona Patri vltro ſe ſtiterit ad perficiendum in æternum voluntatem ipſius, vt olim ſeruis ad conſtantiæ argumentum auris fibula pertundebatur. Sed Apoſtolum de priori membro agere non de poſteriore duabus de cauſis, *tum quia membrum illud prius ad hunc locum & argumentum propriè pertinet, alterum non item: quandoquidem hîc præcipuè agitur antitheſis rerum quæ offerebantur in lege, & ſacrificij quod Chriſtus obtulit in hac temporum plenitudine, &c.* Ait hanc interpretationem bonis omnibus & minimè φιλονείκοις ſatisfacturam. Nunc ad obiectionem quod Hebraicè lęgatur *aures*, ait ſynecdochicè corpus humanum ſignificari. Sed ex rationibus euidentiſſimis iam allatis manifeſtum eſt argumentum Apoſtolicum iſta dictionis mutatione prorſus debilitari. Licet enim hæc ſynecdoche Fideli & incarnationis cruciſque myſterium credenti ſatisfacere poſſit, Aduerſario tamen & pręſertim Iudæo fluxum ſemper & prorſus caducum videbitur argumentum; imò videbitur illi Apoſtolus imponere velle, ſi tunc vt nunc, aliter ha-

buit textus Hebræus quàm Euangelicus, quum validum opponat argumentum dictionẽ *corpus* ſubſtituendo, quod inſpecto textu Hebræo ſtatim redditur infirmum.

Ex tot argumentis quæ ad ſententiæ noſtræ confirmationem in illa præfatione protuleramus, tamque variis rebus de quibus ad eam illuſtrandam diſſerueramus hunc vnum locum elegerunt, quem ſuis teſtimoniorum catalogis καὶ παραλληλίαις immerſum tantiſper exagitarent. Itaque exſibilata inſulſiſſima reſponſione nihil amplius ad vniuerſi operis nugaciſſimorum hominum refutationem nobis ſupereſt; niſi forſan trium iſtorum verborum expreſſio, mentimini impudentiſſimi ſycophantæ; cum hoc loco excepto ea nobis ſemper imputent, quæ vbique non modo euidentiſſimè pernegauimus, ſed etiam quæ aſſerere aut abſurdum, aut omnino fatuum ſemper exiſtimauimus. Ipſorum tamen catalogos, vt cœptum eſt, perſequemur; iocularis eſt eorum diſputatio. Homines enim illiterati opinionum neſcio quæ portenta ſibi finxerunt, deinde cum iis non modo ignariſſimè, ſed etiam iocularitcr prorſus depugnant. Nudas enim ieiunas & aridas teſtimoniorum ci-

tationes ſibi inuicem opponunt, comparant, decuſſant diſtribuunt, diſtributas iterum in partes diuidunt, diuiſas minutiſſimè diſſecant, diſſectas ἐπαλλήλως, κατάλλήλως, ἀκαταλλήλως, ἐναλλάττουσι, διαλλάττουσι, ἀντιδιαλλάττουσι, atque eiuſmodi parallaxibus non quidem cœleſtibus, ſed magna ex parte phantaſticis, nugatoriis, & craſſiſsima linguæ Hebraicæ ignorantia perfuſis magnum operæpretium ſe feciſſe arbitrantur. Seſe digito monſtrari volunt, feſtiui homines, & dicier hi ſunt, eo quod Latinè balbutientes Græcè citationes illas exſcribere potuerunt, & nonnunquam Hebraicè.

Sectionis 9. Elenchvs,

Putida Aduerſ. ſycophantia, labor inſanus.

HAc ſectione noua catalogorum genera ſibi proponunt componenda. Quem in finem? *vt tantò magis appareat Morini infinita ſtoliditas ac dementia exigentis abſolutiſſimam omnium Hebraica veritatis verborum concordiam cum iiſdem citationibus, & immenſa atque ſacrilega audacia eam de vitio ac corruptela infamantis,*

quia hoc non vbique fiat. Quàm effrænis & putida sit hæc calumnia sæpius iam & demonstrauimus, & protestati sumus. Imò infinitè stolidos & dementes eos esse oportet, qui tam stultam sententiam homini non dementi imponunt. Quis enim nisi planè demens sententiam quam oppugnant, asseruit vnquam? Quod si planè dementis sententia hæc est, vt reuera est, quàm importunè stolidos & dementes eos esse oportet, qui tam operosè librum conscribunt, vt eam sententiam oppugnent quam solis cachinnis vir cordatus explosisset. Hac sycophantia conuitiis exaggerata iterum ad catalogos suos reuertuntur, & sequentium seriem ita disponunt. *Dupliciter*, inquiunt, *dispescuntur hæc, quæ nunc proposituri sumus testimonia; ita vt in nonnullis omnes tres Textus, Hebraicus, Græca versio, & scriptores noui fœderis inuicem discordent verbis: in aliis verò quorum longè maior est numerus, Hebraicus textus, & Græca versio vnanimiter inter se consentiant, Nouo Testamento ab iis variante.* Deinde nouas sectiones inchoant.

SECTIONIS 10. ELENCHVS.

Irritus conatus, λεπτολογήματα, ineptiæ.

PRæcedentis diuisionis prius membrum hac sectione probant longo testimoniorum catalogo. Thesim siue rem ipsam admodum lubentes amplexamur: Consequens etiam non inficiamur: Hinc scilicet probari, mendas & corruptelas in Græcam versionem, si ipsis ita libuerit, irrepsisse. Imò si mihi credere volunt, mendas in illos tres textus incidisse hinc colligi posse non horrebunt affirmare. Eligant quod libuerit, An vnum textum, an duos, an tres mendæ inuaserint, omnia concedo. Nunquam, vel verbulum scripsi quod huic optioni repugnet. Si huic assertioni subest aliquis scrupulus, is maximè Græcum textum N. T. spectat. Sed nunquam suis catalogis peruenire poterunt ad centesimam mendarum partem quas Beza ex variis codicibus in textu Græco N. T. adnotauit: cuius sanè in hoc diligentiam non vituperamus, sed laudamus. Si tam multæ mendæ in nouo Test. Græco deprehenduntur, Quidni in versione Græ-

ca 70 Interpretum? Quidni in Hebræo textu? de primo id fateri, de duobus aliis id negare fatuum eſt. Putant ſe nos ad abſurdum egregiè adegiſſe, ad confitendum ſcilicet in Græcam verſionem mendas & corruptelas incidiſſe. At fatuum aut rerum iſtarum omnino imperitum ſemper credidimus eum qui aliter edixerit.

Eadem cautio ſæpius iam repetita hîc etiam eſt obſeruanda. Admittimus antecedens, admittimus conſequens, ſed non omnia media per quæ illud colligunt: imò pauciſſima. Minuti enim iſti Philoſophi ratiocinantes adeo λεπτολογοῦνται, nugantur, & plerumque ineptiunt, vt ridiculum murem pro leone fere ſemper oſtentent. Quum rem ipſam quam concludunt, teneamus, deridicula argumenta quibus eam colligunt, nihil curamus, nec eſſe Lectori curanda cenſemus. His accedit quod ſcarabæo facilius perſuaſeris κόπρον μηκέτι κυλινδεῖν, quàm ineptulis iſtis ſciolis non amplius procaciter nugari & conuitiari.

SECTIONVM, 11. 12. & 13. ELENCHVS.

His sectionibus vt & praecedentibus magno conatu probant quod ipsis conceditur. Vbique cupressum simulant, Asini in paleis.

HIs sectionibus alios catalogos texunt, qui specie à pręcedentibus differunt. In eos enim citationes illas cogunt quæ ab Hebraico quidem dissentiunt, cum illi 70 Interpretes consentiant. Speciem autem istam in tres alias diuidunt. *Prima*, inquiunt, *erit eorum*, *vbi aliquid de suo addiderunt*, Apostoli: *Secunda habebit locos in quibus aliquid omiserunt*: *tertia eos*, *vbi aliquid extulerunt aliter quàm ipsa verba Hebraica sonant.* Nonnulla esse eiusmodi nemo sanus qui his mentem aduerterit, diffitebitur. Adhibita cautione solita nihil horum inficiamur. Notabit Lector in his tribus sectionibus, viros illos doctissimos eadem edere reconditæ suæ doctrinæ specimina, quæ in aliis omnibus præcedentibus ediderunt. Pro sua enim exquisitissima eruditione exscribunt istorum testimoniorum verba præcipua Hebraicè, Græcè, & Latinè, & ne γρῦ quidem verbis textualibus superaddunt. Cum igitur cœptis tam

arduis egregiè defuncti sint, numquid iniquum esset ab iis aliquid aliud exigere?

Nonnihil tamen miramur perpetuos illos & pertinacissimos citationum indices, etiam cum iis nihil opus est, vt in his tribus sectionibus potissimùm contingit. Quid enim ad rem facit, hoc est, ad calumniam quam nobis inurere volunt, citationum istarum repertorium? In locis nonnullis aliquid addunt Apostoli, in quibus 70 nihil addunt, sed Hebræo textui conueniunt. Ita sit, quid inde sequitur? In alijs locis aliquid omittunt Apostoli quod cum Hebræo textu exhibent 70. In aliis denique quædam dictiones permutantur. Quis hoc negat? Quid inde? Catalogorum istorum ratio est in promptu; vt Pictor ille Horatianus sciebat simulare cupressum, ita & illi citationum catalogum. Ideo vt Asinus paleis occurrens exultat.

Ονος βαδίζει εἰς ἄχυρα πραγμάτων

Sic indices istos auidè texunt homines nugiuenduli, vtpote qui tum materiam suis humeris æquam, & in qua diu sese exercuerunt, sortiuntur.

SECTIONIS 14. ELENCHVS.

Insulsarum calumniarum nimbus. Catalogis omnia expediunt : Catalogorum ludicræ versationes, καὶ στενολεσχίαι.

SEctionis istius initio ex iis catalogis colligunt quemcumque percipere posse *desperatissimam Morini vecordiam exigentis vt Hebraica veritas in omnibus dictionibus ad vnguem congruat cum allegationibus N. T. & vbicumque id non fit eam pro corrupta condemnantis, &c.* Animum nostrum nunquam insedit opinio tam stulta; nec aliquem puto vnquam tam dementem fuisse vt rem adeò insulsam & ab omni ratione abhorrentem sibi persuaserit. De hac calumnia multis supra dictum est, Aliam statim cum præcedente nectunt. Græcam versionem nos prædicare incorruptam. Istam calumniam sæpius explosimus. Tertiam calumniam fingunt sycophantiarum feracissimi homines, *Morinum solam illam versionem quæ est in editione Romana agnoscere pro Authentica.* Editionem illam nunquam scripsimus authenticam, quomodo solam? de hac re supra multis.

Agunt præterea illa sectione aduersus sodales

sodales suos qui affirmant Versionem Græcam ante Apostolos magnam apud Hellenistas, hoc est, Græco-Iudæos autoritatem fuisse consecutam; atque ideo Apostolos autoritatem istam reueritos eam vsurpasse cum ab Hebræo textu discedit, ne Iudæo-Græci huic versioni assueti nouitate offenderentur. Hæc sententia ipsis displicet, eo quod, inquiunt, si hoc sacris Scriptoribus cordi fuisset, *multò magis eam retinuissent vbi cum Hebraico optimè concordat, quod eos non fecisse, amplissimus ille locorum catalogus in quibus contrarium fit, apertè testatur.* Ne autem existimes tantis vnius rei catalogis ipsorum vim καταλογικὴν prorsus esse exhaustam, subijciunt. *Imò & alius adhuc non paruus catalogus restat, quo amplius etiamnum confirmatur idipsum, &c.* Hinc arrepta occasione alterius simulandi cupressi conuasant multa testimonia quibus autores sacri verba sua substituunt verbis 70 Interpretum *cum tamen vtraque ex æquo Hebraicis vocibus respondeant, atque eôdem fere redeant.*

Verè Taylor & Booti laureolam, vt dicitur, in mustaceo quæritis, Versatoresque estis magni in re pusilla. Ista testimonia iterum aliis modis versant, mutantque qua-

drata rotundis, vt suos homines honorificentius quàm par erat de 70 Interpretibus sensisse demonstrent. Punctum vnicum extra terram efflagitabat Archimedes, quo concesso eam è centro suo versus cœlum se sublaturum & vibraturum pollicebatur. Sed instrumentis & ferramentis multis sibi opus esse fatebatur. Verùm homines isti tam ingeniosi sunt artifices, & in artificio catalogico tantopere exercitati, vt si semel illis vel sola ista δυνάμις καταλογικὴ concedatur nihil non possint

Omnia transformant sese in miracula rerum.

Aliis ferramentis opus non habent, sed catalogo solo velut Mercurij caduceo freti omnia recludunt, reuellunt, refellunt,

---agunt ventos, & turbida tranant
Nubila.

Nunc si testimonia illa sigillatim ad incudem reuoces, vix erit aliquid magis ridiculum. Num Apostoli scribentes è Græca versione memoriter multa non retulerunt? Num memoriter aliquid referentes dictionem dictione eiusdem significationis permutare potuerunt, verbi gratia, ἀποκλαιομένη, κλαίουσα; ἀποστέλλω, ἐξαποστέλλω, &c. Num potuerunt tum temporis in versionem Græcam varietates incidisse, ita vt

codex vnus eo loco dictionem vnam vſurparet, alius aliam? Num in nouum Teſtamentum Græcum multæ poſt Apoſtolos varietates irrepſerunt? Num iterum aliæ poſt idem tempus in Græcam verſionem? Qualis eſt igitur iſta ratiocinatio. Nonnulla ſunt loca in textu Apoſtolico è veteri citata in quibus eædem numero dictiones non deprehenduntur quæ nunc in 70 verſione occurrunt: Ergo Apoſtoli illius autoritatem parum curabant, & ea neglecta aliam interpretationem aut condebant, aut ſequebantur. Sed cum hac in cauſa ſuis ludibrio ſint, cur in eadem nobis erunt exiſtimationi?

ELENCHI SECTIONIS 15. Pars prior.

Eliduntur calumniarum portenta repetita. Maledicentiarum noua ſeges exurgens ſuffocatur. Diſputatur quæ textus ſinceritas ad αὐθεντίαν requiratur. Aduerſariorum fatuitas, dementia, Iudaiſmus, calumniæ, ἀναίδεια, Cadmæa pugna.

REpetunt primùm hac ſectione duas illas propoſitiones quas aduerſum nos toto opere ſibi propoſuerant probandas. Quàm portentoſa cum calumnia no-

bis illas imputent, antea pluribus demonstrauimus. *Vtrumque*, inquiunt, *iis quæ dicta hactenus sunt, fecimus quàm planissimum.* An id ex catalogis vestris sequatur, parum aut nihil curamus. Quod ad rem ipsam attinet quam demonstrandam vobis proposuistis, illius veritas est euidentissima; ad illam demonstrandam argumenta congerere, nihil aliud est quam insani more ligna in syluam ferre, aut facibus soli meridiano lumen commodare. Itaq; obscuro isto & importuno labore vestro catalogico supersedere poteratis. Quis enim adeo demens fuit vt propositiones quas eiusmodi verbis describunt, negauerit, *Non debere exigi, vt loci qui in nouo Testamento citantur è veteri, vtrobique se habeant eodem modo ad verbum: At si id statueretur, in detrimentum Græcæ versionis æquè ac Hebraicæ veritatis redundaturum.* Addamus & hoc, quid enim sententiæ nostræ officiat non video, *Neque hanc magis quàm illam hoc argumento vitij ac corruptelæ condemnandam fore.* Imò quis vnquam præter Taylorum & Bootium tam demens fuit vt aliorum cui tam fatuarum propositionum assertionem imputauerit? *Quare euersum funditus est Morini argumentum quod tanto apparatu*

in ſacrilega iſta præfatione in ſcenam produxit, infamandæ HEBRAICÆ *veritati.* Non eſt euerſum argumentum meum, ſed calumnia veſtra, ſed larua quam vobis finxiſtis, nihil enim meum toto libello veſtro impugnatis. Hebraicam veritatem infamem reddere nobis nunquam fuit animus. Nihil de ea diximus quod Catholici omnes non dixerint, quod plerique homines veſtri publicè non docuerint. Nihil de Hebræo textu diximus quod de Græca verſione & Grȩco noui Teſtamenti textu non dixerimus, & nobiſcum dixerint, omnes Catholici, & quotquot fere ſunt Hæretici. Hoc vnum de Hebræo textu diximus, & dictum voluimus, Iudæorum Scribas in eo deſcribendo non modo errare potuiſſe, ſed etiam reipſa erraſſe; Præterea temporum iniuriâ aliiſque fortuitis de cauſis mendas iſtum textum non modo inuadere potuiſſe, ſed reipſa inuaſiſſe. Vno verbo, Scribas, codiceſque Iudaicos Græcis, Latiniſque Scribis & codicibus hac in cauſa non eſſe præferendos. An Hebraicum textum infamat qui eum Græco & Latino textui cum de integritate agitur, docet non eſſe præferendum?

Horrendæ ſunt calumniæ quas tota

disputatione hac audisti, sed omnium virulentissimas in finem, vt fecem in fundo reseruarunt. Multis indiciis aiunt se detexisse, *Belluæ istius rabiem non contra Hebraica duntaxat archiua, sed contra sacra in vniuersum oracula directam fuisse, quæ in totum ex hominum manibus excutere, pro summo quidem voto habuerit.* Examinemus indicia ista, vt quàm sint sagaces innotescat. Primum est, Elegit versionem Græcam pro sincera & incorrupta deprædicandam quæ *plurimis, miserrimisque ac fœdissimis modis deprauata atque adulterata est.* Falsissimum est, vt iam sæpiùs dictum, versionem Græcam pro sincera & incorrupta nos deprædicasse, si sincerum & incorruptum vocant id quod ex omni sui vel minima parte est integrum & inuiolatum. Multas mendas in eam irrepsisse, atque etiamnum nunc inhærere & diximus, & demonstrauimus; id quod ante nos & monuerunt, & sæpiùs adnotarunt viri illi docti qui eam Romæ primò ediderunt, & notis illustrarunt. Ipsos interrogo, si ille qui docet Hebraicos codices ab omnibus mendis non esse vsquequaque immunes, negat tamen ideo corruptos dici posse, eò quòd corruptelæ istæ, & paucæ sint nu-

mero si totum codicum corpus considere-tur, & vix aliquæ reperiantur quæ aliquid impium contineant, pro summo voto habet diuina oracula ex hominum manibus excutere. Quid de illis dicendum qui codices Græcos non à perfidis Iudæis, sed ab Ecclesia Catholica quæ iuxta eadem oracula diuina columna est & firmamentum veritatis conseruatos, prædicant plurimis miserrimis, ac fœdissimis modis deprauatos & adulteratos? Impia, fœdissima, scelestissima quæque in Græcos, Latinosque codices impunè per eos euomantur. At qui vel leuissimè Hebræorum codicum virginitatem attigerit, impius & sacer esto.

Alterum indicium quod omni conatu codices Græcos *pro authenticis & canonicis obtrudimus reiecta ac damnata non Hebraica duntaxat versione, sed vt Latina editione quam vniuersa Romana Ecclesia pro canonica agnoscit.* Si interrogentur, vbi dixit Morinus versionem Græcam editione Romana exhibitam esse canonicam, illis aqua statim hærebit. De Græca versione, vt legebatur quinque primis seculis id sæpiùs scripsi, nec aliquem Christianum existimabam inuentum iri qui mihi contradiceret. Aut enim ista, fuit Canonica, aut

nulla fuit; quod posterius asserere absurdissimum est. Sed de hoc iam sæpiùs. Si verò interrogentur, quo in loco Latinam editionem damnauimus, quid, vt tam atram sycophantiam colorent, respondebunt? Si loca quibus eam sanctam, canonicam, authenticam, diuinam esse & diuinitùs inspiratam, illius verò autorem in ea condenda Prophetam fuisse & speciali Spiritus sancti afflatu ductum asserimus, passim & in præfatione, & in reliquis scriptis meis illa deprehendent. Quid passim dico? vbique aut hoc dicimus, aut vt certum & indubitatum dicendis assumimus.

Id confirmant spurcissimâ aliâ calumniâ. *Ignominiosè*, inquiunt, *& priuata autoritate posthabendam censuit.* Latinam scilicet Vulgatam Græcæ versioni, *nihil ob aliud nisi quod longè ac lõge magis hæc quàm illa soleat ab Hebraica veritate abire.* Vbinam Latinam Græcæ posthabendam scripsi? Locum notent in quo vel minima huius rei coniectura lateat. Antiquam Græcam versionem Latinæ parem censui: Romanam editionem 70 Interpretum omnibus quæ nunc extant editionibus præferendam esse scripsi. Sed Vulgatæ nunquam æquaui, multo minus prætuli.

Quanquam ſi æquaſſem non improbabiliter id feciſſem propter Sixti V. ſummi Pontificis autoritatem, qui vt ab omnibus reciperetur ac retineretur diplomate cauit, néve quis addendo vel demendo aliquid in ea mutaret, prohibuit. Sed cum disertè Sixtus Pontifex eam canonicam aut authenticam non pronuntiet, ab eiuſmodi verbis ſemper abſtinui. Deinde, hoc dato, quod Latinam Grçcæ poſthabēdam duxerim, num inde ſequitur Latinam me reieciſſe ac damnaſſe. Quodnam eſt illud ratiocinationis monſtrum? Sed ego nimiùm credulus qui à tam brutis hominibus rationem exigam. Denique quo Prophetiæ afflatu diuinant Græcam verſionem Latinæ me prçferre eo ſolum nomine quod illa longius quàm hæc ab Hebræo textu diſſentiat? Si fingere & mentiri ſufficit ad innocentiam opprimendam, quis impiorum manus effugiet?

Tertium & poſtremum indicium quo ſceleratum animum meum detexerunt ex duobus præfationis meæ locis eruunt in quibus ſcripſi dictiunculam irrepſiſſe in verſionem Græcam. Quid? Morinus qui omnes neruos contendit vt huic verſioni ſacroſancta ac authentica majeſtas aſſera-

tur, mendarum eam non accusaret, *si persuasum ipsi fuisset de ista additione id quod aliis de ea persuadere tantopere contendit, &c.* Quidni verò Taylor & Booti omnium qui vnquam animum ad scribendum appulerunt, imperitissimi, aure simul & mente & oculis cæci, mendæ in authenticum & sacrosanctum textum irrepere non poterunt? Quis præter vos hanc tam fatuam sententiam, & quotidianæ experientiæ repugnantem amplexus est? Tantisper agite mecum, N. Test. Græcus textus num est vobis authenticus & sacrosanctus? At non vnam aut alteram mendam, sed mendarum myriades ex variis N. T. codicibus collegit Beza, collegerunt Robertus Stephanus, Camerarius, Piscator, Casaubonus, Ludouicus de Dieu, & alij plerique Sectarij de quibus nos & hîc & alibi diximus. Ipsimet celeberrimam illam Oxoniensem Bibliothecam lustrate. Est in ea antiquissimus ille codex Bezæ, sunt & alij codices manuscripti: Ipsimet codices illos horulam vnam versate, comparate; Video enim vos characterum & lectionis Grecæ non esse planè ignaros. Statim experientia cognoscetis id quod hebes vestrum ingenium hactenus capere non

potuit mendas plurimas easque non vnius dictiunculæ sed plurium, sed hemistichiorum, sed versuum sacrosanctum textum nonnunquam inuadere. Quid de Hebręo textu dicam in quo Iudæi tam multas lectionis varietates adnotarunt, vt qui vestrum sunt doctissimi experientiâ rerum magistrâ docti sponte confitentur? relegite, si lubet, autores quos supra retulimus. Si igitur scelerato animo it oracula diuina perditum qui in textum quem canonicum non prædicat, dictiunculam vnam aut alteram irrepsisse scripsit, dicite quo animo in authenticum & sacrosanctum textum affecti sunt sodales vestri qui mendarum myriadas in eum sese insinuasse scripserunt? Quid ipsi experientiæ obloquemini, quæ omnibus varias Græci textus interpretationes, aut varios manuscriptos codices lustrantibus, & conferentibus rem ita se habere dictat?

Existimant Aduersarij, vt qui ex eorum sodalibus rudiores sunt, textum authenticum eum esse in quem nullæ mendæ sese insinuarunt. Sed hoc sensu nullus erit textus authenticus: Experientia enim quotidie huic assertioni refragatur, cum præsertim de Græcis N. T. codicibus agitur, quid

enim mendis & corruptelis fertilius? In Hebræis codicibus, quanquam Iudæi plurimas adnotauerint, res tamen Christianis, non ita nota est: cuius dissimilitudinis multæ rationes assignari possunt. 1. Codices illi non tam tractabiles sunt quàm Græci. 2. Codices eiusmodi apud Christianos reperiuntur, quàm paucissimi, ijque à Iudæis auro redempti. 3. Nulli apud Iudæos reperiuntur quingentis annis antiquiores, ijque admodum rari. 4. Vix vnus aut alter in tota Europa istius antiquitatis in Bibliothecis Principum & Magnatum celebrantur, & quis illos lustrat, & cum vulgo editis comparat? 5. Certum est Iudæos post Masorethas in sacris suis libris describendis diligentiores quàm antea fuisse, omnesque à Syria & Ægypto in Galliam & Hispaniam vsque, iuxta exemplaria & præscripta Masorethica scrupulosè libros suos exscripsisse. His de causis nullas alias Hebræi textus varietates ex antiquis codicibus excerptas habemus præter eas quas Iudæi collegerunt, id est, quas vel Masorethæ, vel Babylonij, vel quas paucissimi quidam Iudæi ante paucos annos aliud agentes indicauerunt. Attamen mendæ illæ non ita raræ sunt vt mille & sexcenta-

tum numerum non longè excedant. Quid si antiquos codices Christiani ipsi versarent? Quid si codices versarent ante Masoretharum censuram descriptos, hoc est, ante octingentos annos, vt Beza, Robertus Stephanus, alijque codices N. T. Græcos hanc ætatem superantes multos penes se habuerunt, & secum & cum vulgo editis contulerunt? Quam mendarum & varietatum copiam nobis exhibuissent?

Aliud est, nihil libros aliquos continere fidei, bonisque moribus contrarium, nihil falsum, nihil absurdum. Aliud est, nullum versum, nullum hemistichium, nullam dictionem, nullumve dictionum ordinem & situm continere, nisi quem primitus autor scripserit, digesseritve. Prius de libris canonicis rectè prædicatur, & sine his conditionibus canonici non possent pronuntiari. Quanquam propter autorum grauissimorum autoritatem duas postremas conditiones esse scrupulosissimè necessarias nolim admodum contendere. Forsan enim sufficit, vt ex isto falso, aut absurdo, si tamen aliquod irrepsisse concessum fuerit, quod librorum antiquorum comparatione purgari non possit, nihil fidei aut bonis moribus perniciosum colligatur. Multa

enim in libris ſacris admodum difficilia, præſertim quæ numeros ſpectant, deprehenduntur, quibus conciliandis nullam viam inire poſſunt viri quique doctiſſimi, niſi in alterutrum locum mendam irrepſiſſe concedatur. Vide quæ ſcripſimus Exercit. 7. Biblica c. 3. 4.

Poſterius autem ſi libris canonicis tribuatur, iam multa ſæcula præterierunt, cum nulli ſunt libri canonici? Vbique tamen hanc ſententiam velut conceſſam & apud omnes ratam ſermonibus & ratiocinationibus ſuis aſſumunt, eamque ipſiſſimis verbis de textu Hebræo ſectione 16. pronuntiant, *Sicuti enim certiſſimum eſt Hebraicam veritatem ad manus noſtras perueniſſe ſinceram & planè ſicut à principio fuit incorruptam, &c.* & quod admodum iniquum eſt, eo quod mentiuntur verſionem Græcam nos prædicare canonicam, colligunt etiam nos illam ab omni menda credere immunem, quaſi duæ hæ propoſitiones eſſent *ἰσοδυναμοῦσαι*, Canonicum eſſe, & ab omni menda purgatum. Sed vt omittam quæ de varietatibus illapſis in Hebræum & Græcum textum ex Beza aliiſque hæreticis iam ſæpius docuimus, ſi vera eſſet hæc ſententia quomodo Græcus

N. T. textus erit authenticus non modo tot mendarum myriadibus ſcatens, ſed in quem Beza toties ait marginalia gloſſemata irrepſiſſe, cui toties ait omnes ſuos manuſcriptos codices ſimul iunctos velut agmine facto contradicere. Huius rei teſtimonia multa retulimus Exercit. Biblica 2. c. 2. & 4. fine, pluraque paſſim vt cæteros ſileam in Bezæ adnotationibus proſtant. Noluit prouidentia diuina textus authenticos ab omnibus omnino mendis conſeruare, quod facilè potuiſſet. Huius rei multæ ſunt rationes quarum hæc non eſt poſtrema, Ne occidenti literę nimiùm attenderemus, ſed Eccleſiam quacunque in re audiremus, reminiſcentes perpetuam Spiritus ſancti gratiam, ϗ ἀναμαρτησίαν, Eccleſiæ, non Iudæorum aut Græcorum ſcribis, nec codicibus veruecinis aut vitulinis, eſſe pollicitam. *Hoc eſt*, inquit Apoſtolus Heb. 8. *teſtamentum quod diſponam domui Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: Dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas, &c.* Hæc obiter monita ſunto.

SECTIONIS 15. ELENCHVS.
Pars posterior.

Exemplis & Hæreticorum testimoniis docetur qua textus sinceritas ad αὐθεντίαν necessaria sit. Restitutio v. 19. Psal. 67. vindicata. S. Hieronymo sua coniectura reddita. Aduersarij desipiunt, umbris territant, inconditè & rusticè loquaces, φιλόμωμοι, diobolares scioli.

AD hypothesim nunc descendamus. Prius exemplum quo velut *indicio detexerunt rabiem meam non contra Hebraica duntaxat archiua, sed contra sacra in vniuersum oracula directam fuisse*, est, quod scripsimus Amos 5. v. vlt. dictionem *Damascum* pro *Babylonem*, in textu Hebræo positam esse: sic enim legit Stephanus Actor. 7. v. 43. resque ipsa id suadet cum de decem tribubus agat, quæ vltra Babylonem in captiuitatem relegatæ sunt. 4. Reg. 17. 6. & 18. 10. Insurgunt, at 70 hanc dictionem exhibent: Ergo non credis versionem illam esse canonicam quod aliis persuadere conaris. Hoc vnum responsi loco eos interrogabo. Si qui mendam vnam aut alteram agnoscit in textu quem fatetur canonicum

nicum impius eſt, quid de Beza dicendum qui in eundem verſum Actor. ſic adnotat, *Apparet igitur in Græcis perturbatum eſſe ordinem, vt qui priore loco legerint,* כוכב אלהיכם, *id eſt, ſtellam deorum veſtrorum. Deinde pro Chiun quod nomen eſt idoli ſubiectum fuiſſe aliud nomen, in quo etiam ſcribendo plurimùm variant codices, quum alij* ῥεμφὰν, *alij* ῥαιφὰν, *alij* ῥαμφὰν, *alij* ῥεφὰν, *vt Syrus & Arabs Interpretes, & Iuſtinus hunc locum citant, alij denique* ῥεφᾶ *ſcribant, vt corruptum eſſe hoc ſaltem nomen facile appareat.* Lineis quatuor poſt hæc verba in eiuſdem verſus interpretatione, *Subſtituerunt* προσκυνεῖν αὐτοὺς, *ad adorandum eas, niſi hoc fortaſsis quemadmodum & alia multa, ex alijs locis annotatum poſtea in contextum irrepſit. Id autem ita eſſe apparet ex Iuſtino, qui in dialogo* πρὸς τρύφωνα, *hunc locum citans legit,* οὓς ἐποιήσατε ἑαυτοῖς, *nec quidquam addit amplius.* Si Bezæ ita licuit ſentire & generatim & ſpeciatim de textu Græco N. T. quem canonicum profitebatur, Numquid nobis non licebit eſſe multò modeſtioribus de textu quem canonicum non profitemur verba facientibus?

Poſterius exemplum impietatis noſtræ eſt, quod Pſal. 67. v. 19. dictionem לקחת

irreptitiam pronuntiantes, idem pronunciandum censuimus de dictione ἔλαβε eodem loco in 70 Interpretum editione. Ita est. Quid tum? Num impius Beza, qui eodem eiusdem Epistolæ capite v. 16. cum in Græco textu vulgato scribatur μέρους vertit *membri*, legens μέλους, vt & vulgata: cuius rei rationem reddit, *Sic legunt veteres Græci summo consensu, & ita etiam Scholiastes Græcus, vt apparet ex interpretatione*, v. 29. πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας, *ad ædificationis vsum*, Vulgata, *ad ædificationem fidei*. Numquid error in Vulgata, aut Interpres sensum secutus verba neglexit? Horũ nihil prorsus: Verba textus Græci κατὰ λέξιν secutus est. Legebatur in codice Interpretis πίστεως, nõ χρείας. En fidem facit Beza qui adnotat in præclarissimo, & antiquissimo suo codice Claromontano scriptũ fuisse πίστεως. Quid igitur impietatis si scripsi in versione Græca olim scriptũ fuisse ἔδωκε, vbi nunc ἔλαβε?

Rationes paucis repeto. S. Paulus hunc locum referens legit ἔδωκε. Deinde eodem modo Iustinus Martyr in dialogo cum Tryphone Iudæo, S. Hilarius in textu huius Psalmi, Psalterium Romanum, qui omnes Græcam interpretationem sequuntur. Insuper res ipsa id postulare videtur,

Quid enim sibi vult, *accepisti dona in hominibus*. Nihil est tam absurdum quod oratione leniri non possit. Sed nullum idoneum malagma huic asperæ locutioni illini potest. Tam genuinus & natiuus sensus est, si cum Apostolo, *dedit*, legas: Vt quid ad ambages sensus conficiendi causa recurritur. Denique cur non in textum Hebręum mendula irrepsisse dicetur, cum literarum traiectio propter punctorum absentiam in ea lingua sit facillima. Quidni igitur Scriba literam traiecerit חלקת pro, לקחת, παραγράφων, cum tot validæ rationes id suadeant? His accedit Paraphrastæ Chaldæi autoritas, qui vertit, יהבת, *dedisti*, אלפתא פתגמי אוריתא יהבתא להון מתנן לבני נשא; *docuisti sermones legis, dedisti bona hominibus*. Licet tamen tantis rationibus & exemplis niteremur, En grande scelus! pronuntiauimus, nihil definientes, ἔλαβε, *vox irreptitia videtur.*

Denique aiunt se de loco Commentar. S. Hieronymi in 4. cap. Epist. ad Galatas agere nolle, vbi conjicit S. Hieronymus Iudæos Deuter. 21. 25. in contumeliam Christi textui Hebraico inseruisse, *à Deo*. Scribunt igitur nos S. Hieronymi coniecturam veram asserere, licet fateamur &

codicem Samaritanum & 70 Interpretes pro Hebraico ſtare. Ex quibus verbis præfationis meæ hæc colligant, diuinare non poſſum. De hac corruptela hoc tantùm ſcripſimus, *Eodem capite in hæc verba, Maledictus omnis qui pendet in ligno, conÿcit in contumeliam Chriſti in textu Hebræo additum à Deo. Coniecturam ſuam multis argumentis perſequitur. Septuaginta tamen Deut. 21. legunt, Maledictus à Deo, & codex noſter Samaritanus ab Hebræo nihil differt.* Quid non mortalia pectora cogunt, & furor, & rabies? An his verbis coniecturam illam aſſerimus veram? ne verbulum quidem de ſenſu noſtro pronuntiamus, quin potiùs illius coniecturæ vim plurimùm verbis noſtris eleuamus. Quanquam id quod criminantur ſi feciſſemus S. Hieronymi eo loco mentem aſſecuti fuiſſemus, vt locum integrum luſtranti, & ſancti argumentationem attentè perpendenti omnino conſtabit. Hanc enim coniecturam S. Hieronymus duabus aliis quas retulit, non modò præfert, *Aut quod magis eſt æſtimandum poſt paſſionem Chriſti, & in Hebræis, & in noſtris codicibus ab aliquo Dei nomen appoſitum, &c.* Verùm etiam multis argumentis veram eſſe demonſtrat: *Auda-*

ci, inquit, *pede ad hoc procedo certamen, vt ad libros prouocem, nullo loco ſcriptum à Deo quenquam eſſe maledictum, & vbicumque maledictio ponitur, nunquam Dei nomen adiunctum*: Deinde multis argumentis demonſtrationem iſtam perſequitur.

His bellis impietatis exemplis obiter propoſitis ſectionem illam finiunt his verbis, *Sed cum hoc hominis monſtro luctati iam ſumus; quare miſſum illum faciemus, donec otium dederit Deus, ad reliqua quæ contra ipſum cogitamus, ſcripta in manus ſumenda.* Non mecum, Lector, vt vidiſti, ſed perpetuò cum laruis & animi ſui figmentis luctati ſunt. Duabus rationibus fretus iſtorum hominum libellum præterire poteram. Nam ſi titulum excipias qui præfationis meæ examen pollicetur, vt iam ſæpiùs monuimus, & res ipſa demonſtrauit, vnicum ex innumeris argumentum leuiſſimè adoriuntur. Alibi enormes calumnias quas totis animis exhorremus perpetuò nobis imputant. Dici ſolet, Mortalium neminem omnibus horis ſapere; ſed mortales iſti nullâ horâ ſapiunt, ſemper deſipiunt: ſcopum quem ſibi proponunt, nunquam attingunt; etiam opinionum portenta quæ ſycophanticè fingunt, ferire

nesciunt. Itaque tutò nobis licebat eiusmodi Aduersarios præterire, & risu excipere; nec enim vmbratiles laruæ, & μορμολυκεῖα nos territant. Huic rationi accedit alia, summa scilicet istorum hominum imperitia, in quorum toto libello nusquam extat tantillæ eruditiunculæ vestigium. Quid eruditionem nomino? ne eloqui quidem didicerunt. Phrasim eorum prætereo. Quid sit periodos circumscribere, & eas vt perspicua fluat oratio cum sensu distinguere iuxta cum ignorantissimis nesciunt. Sæpius cum argumentationem instituunt, orationis partes dissimillimas aggregant, rationes rationibus, exempla exemplis, anticipationi responsionem, aliaque multa in vnam periodum velut in manticam accumulant, superimponunt, confundunt. Eandemque insuper periodum ne nimium macra videatur, & ieiuna variis parenthesibus inferciunt. Quæque tamen μωμήσεσθαι malunt illiterati homunculi quàm μιμήσεσθαι: Sed prius vbique tam stolidè faciunt, vt cum arguunt eos in aëre piscari, aut in mari iaculo venari cum Comico meritò diceres; dum augurantur, οὕτω δεξιῶς εὐστοχοῦσι, vt illis asinus semper iudicetur auis.

Aliæ tamen rationes ad Elenchum hunc ſcribendum nos impulerunt, quarum præcipuæ huius Diatribes initio iam enarratæ ſunt, & incaſſum hîc repeterentur. Niſi rationes iſtæ, nonnullæque aliæ nos commouiſſent, quid de me ſentirent diobolares iſti ſcioli, ne manum quidem vertiſſem; plebeia & bruta ipſorum conuitia tacitùs deſpexiſſem. Diffuſiorem contra me ſcriptionem minantur; Non dubito quin perfrictiſſimæ frontis blaterones calumnias calumniis defenſuri ſint craſſamque imperitiam craſſiore cumulaturi. Ineſt eorum pręcordiis ſat ſcio muſcæ improbitas, quæ vt ait Homerus repulſa, impudentiùs redit aculeum infixura,

Ητε καὶ ἐργομένη μάλα περ χροὸς ἀνδρομέοιο
Ἰσχανάα δακέειν.

Sed cum iſtius opuſculi editione ſuperiores rationes ceſſaturæ ſint, illis anticipata reſponſione tribus verbis ſatisfactum eſto; τῶν δ᾽ ὄνων οὔ μοι μέλει.



DIATRIBES APPENDIX


Qua

Nonnulla Diuinitatis & Incarnationis Iesu Christi D. N. illustrissima testimonia in Hebræo textu nunc corrupta, Talmudis, Masoræ, & antiquissimorum Rabbinorum autoritate pristinæ sinceritati restituuntur.

CAP. I.

Quintuplex v. 10. c. 40. Genes. dictionis Hebraicæ Lectio enarratur.

1. Patres hunc locum vt inuictum Iudæis opponunt. 2. Ex eo loco Messiæ aduentus iuxta Græcam & Latinam translationem euidenter colligitur. 3. Iudæi post captiuitatem Babylonicam distinxerunt inter regnum & principatum. 4. Quintuplex Lectio refertur. 5. Siloh missum significare non posse. 6. Ex quinta Lectione Iesu Christi de Virgine natiuitatem necessariò colligi.



CAPITE vndecimo prioris partis, & posteriore parte in elencho sectionis octauæ nonnulla loca retulimus & enarrauimus ab Apostolis ex 70 Interpretum translatione desumpta quibus præcipua mysteria quæ ad Christum Dominum nostrum spectant, multò validiùs & euidentiùs de-

monſtrantur, quàm ſi ex Hebræo textu vt nunc extat, colligerentur. Imò quæ ex Hebræo textu vt nunc iacet collecta, aut nihil prorſus ad ſcopum Apoſtolicum faciunt, aut eum leuiſſimè adiuuant, cum ex ijs vt in Nouo Teſtamento referuntur, & in 70 editione leguntur, contradicentium etiam peruicaciſſimorum os facilè obturetur. Hinc emicuit horrenda Aduerſariorum impudentia qui ſectione 8. ſui libelli ſcribunt, *inter omnia illa teſtimonia nullum reperiri poſſe, in quo aliquid plus aut expreſſius de Chriſto dicatur, quàm in Hebraica veritate.* Nunc in appendiculę vicem aliquot loca enarrare iuuat, ex quibus licet Apoſtolica citatione non illuſtribus, inſigniter tamen iuxta 70 editionem & Vulgatam præcipua Chriſti myſteria confirmantur: iuxta verò textum Hebręũ, vt nunc legitur οὐδὲν πρὸς ἔπος ex ijs colligere poſſis; aut id facias adeo molliter vt prima cum Aduerſario velitatione argumenti tui acies nullo negotio retundatur. Rem hanc viris doctis non ingratam fore ſperamus. Quid bruta noſtra animantia, Franciſcum Taylor, dico, & Arnoldum Bootium oblocuturi ſint, nihil moramur. Quid enim Graculis cum fidibus, aut aſinis cum lyra? Vitiligatores

istos quibus cum Gratiis & Musis nullum vnquam fuit commercium, nulla consuetudo æternum valere securi iubemus.

I. Primus locus est Genes. 49. 10. Qui sic se habet secundum 70 interpretationem, *Non deficiet Princeps ex Iuda, & dux de femoribus eius donec veniant quæ reposita sunt ei, & ipse est expectatio gentium.* S. Hieronymus sic vertit, *Non auferetur sceptrum de Iuda & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Locus est illustris, Patrumque citatione quum aduersus Iudæos aut Ethnicos disputant, admodum celebris. Eo vtuntur, Origenes in cap. 49. Genes. S. Cyprian. l. 1. aduersus Iudæos, Tertullian. de Trinitate, Iustin. Martyr Dialogo contra Tryphonem Iudæum, S. Athanas. oratione de Incarnat. & de Cruce & Passione Christi, S. Ambros. c. 4. de benedictionibus, Euseb. Cæsariens. lib. 8. de demonstr. Euangel. S. Cyrillus l. 8. in Iulianum & in Glaphyris, S. August. l. 16. c. 41. de ciuit. Dei, & lib. 12. in Faustum Manichæum c. 42. S. Hieron. in Epitaphio Paulæ, S. Leo ser. 3. & 5. de Epiphan. pluresque alij quos enarrare longum esset. Omnes 70 Interpretum editionem quam descripsimus re-

præſentant. In eo tantùm differunt quod nonnulli, vt SS. Ambroſius, Hieronymus, Leo, Athanaſius de Cruce, in ſingulari legunt, cui repoſitum eſt, ᾧ ἀπόκειται, quæ alij cum editione Romana pluraliter efferunt. Origenes teſtatur ſuo tempore codices vtramque hanc lectionem exhibuiſſe, quod etiam ex Cyrillo in Iulianum colligitur. Sed vtriuſque eadem ratio, idem ſenſus.

II. Duo prædicit euidenter celeberrima iſta Prophetia; & Meſſiæ aduentum, & tempus aduentus. Meſſiam venturum his verbis, *donec veniant quæ repoſita ſunt ei*, quibus manifeſtè Meſſias ſignificatur, qui omnium Dei promiſſionum, & antiquorum ſacrificiorum finis eſt & complementum, in quem Iudæi, genteſque ſperant. Eundem ſenſum habet Vulgata, *Donec veniat qui mittendus eſt*: κατ' ἐξοχὴν enim & per antonomaſiam dicitur, *qui mittendus eſt*, vt &, *quæ repoſita ſunt ei*. Quis autem ille qui per excellentiam & antonomaſticωs mitti dicitur, niſi Meſſias. Quis alius eſt expectatio gentium, quàm ille qui ab Aggæo dicitur deſideratus cunctis gentibus? Sic Moyſes Exod. 4. *Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es*, certa quædam per-

sona ad hoc munus apta intelligitur : & Isaias c. 16. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ de Petra deserti ad montem filiæ Sion.* Quis ille agnus à Deo emissus, nisi Messias? Ideo legimus in Euangelio singulis fere paginis Christum se à Deo missum testantem. Hæc adeò vera sunt, vt Iudæi antiquiores omnes, & recentiores plerique, Messiam his verbis significari fateantur, quorum testimonia hûc referimus.

Clarissimè quoque eodem versu aduentus Messiæ tempus notatur, *Non deficiet princeps de Iuda*, siue, *non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat, &c.* Sceptrum igitur siue dominatio Iudaica subsistet, donec veniat Messias: Tum igitur veniet Messias quum apud Iudæos extincta fuerit dominatio. Nunc autem euidens est Herode regnante omnem dominationis temporalis autoritatem ab iis esse sublatam. Herodes enim non modo erat alienigena, & Romanorum beneficiarius, sed etiam Iudęorum supremum cōcilium quod sanhedrin siue συνέδριον vocabant penitùs extinxit, omnemque regiæ autoritatis potestatem sibi, suisque iudicibus attribuit. Hanc autoritatem mortuo He-

rode ſibi vendicarunt Romani, vnde Iudæi clamant in Euangelio, *Non habemus regem niſi Cæſarem:* Et, *Non nobis licet interficere quenquam.* Id præter Ioſephum teſtantur etiam Talmudici. Si quid aliter ab iis poſt illud tempus factum eſt, id tumultuariè, aut vigente rebellione contigit. Denique omnis prorſus dominationis ſpecies & vmbra ſimul cum templi, vrbiſque Hieroſolymæ ruina apud eos euanuit. Hæc euidentia ſunt, atque à Iudæis negari non poſſunt: Veniſſe igitur oportuit Meſſiam ante Hieroſolymitanum excidium. Nihil autem ad rem iſtam confert diſputare an per ſceptrum Iuda, intelligatur tribus Iuda, an natio Iudaica, an familia Dauid, an Haſmonæa quæ per mulieres Dauidicæ inſerta erat, An ſynedrium cuius caput iuxta Iudæos è Dauidica familia ſemper eligebatur. Siue enim horum vnum, ſiue plura, ſiue diuerſis temporibus omnia hæc intelligantur, ſemper verum eſt, & à nemine hactenus negatum, gentem Iudaicam ad Herodem vſque ſceptro potitam eſſe, merumque imperium in ſuos habuiſſe, quod vnum ad argumenti vim aſtruendam & confirmandam ſufficit.

III. Qui ad tribum Iuda & synedrium simul ista contulerit, ad Iudæorum multorum placita propiùs accedet, qui distinguunt Hasmonæorum & Herodis tempore בין מלכות ובין שררה, *inter regnum & inter principatum*, Regnum Hasmonæis & Herodi attribuunt, principatum synedrio. Synedrij autem duo fuerunt capita, primū è familia Dauidica electum quod dicebatur הנשיא *princeps*: Alterum ab eo secundum, quod אב בית דין, *Pater domus Iudicij*, dicebatur, & præ cæteris sapientia insignis habebatur. Ita Abraham Leuita in Cabbala, & Abarbinel in libro Nachalath Aboth. Rabbini tamen, Serira, Zachuth, & Gedalias licet cum aliis de istius synedrij autoritate, & Præfectorum distinctione conueniant, negant tamen Hillelem & eius posteros qui annis centum & vltra synedrij principes fuerunt, paternum genus à Dauide, aut à tribu Iuda duxisse, nec de aliis qui Hillelem præcesserunt, id affirmant. Quidquid sit, constat etiam ex Talmude & aliis antiquis Iudæorū libris non modo regiam autoritatem Herode regnāte à Iudaica natione penitus defecisse, sed etiam nouo synedrio post antiqui internecionem omnem gladij potestatem an-

nis ante excidium vrbis quadraginta esse abrogatam, cuius rei luculenta testimonia videre est apud Porchetum quæ à Galatino repetuntur lib. 4. c. 6. Si status Iudaicus ita se habuit integris vrbe & templo, quid contigit iis dirutis, & tota natione sedibus expulsa?

IV. Argumentum istud quo tam euidenter & validè Iudæorum perfidia ex Latina Græcaque editione reuincitur, debile planè & caducum est ex Hebræo textu vt nunc legitur desumptum. Varietatis ratio in vnius dictionis שִׁילֹה, *Siloh*, diuersa lectione tota consistit. *Non recedet sceptrum de Iuda, &c. donec veniat Silo.* Quintuplicem istius dictionis lectionem colligo. Prima videtur antiquissima; Est enim 70 Interpretum, Onkelos, autoris paraphrasis Hierosolymitanæ, & aliorum quos referimus. Aliter nec legerunt, nec legere potuerunt 70 quàm שֶׁלּוֹ, *quod*, vel, *quæ ipsi*, suppleuerunt sensus commodioris causa, ἀποκείμενα. Sic legit Onkelos quum sic vertit, לא יעדי עביד שולטן מדבית יהודה וספרא מבני בנוהי עד עלמא עד דייתי משיחא דדילה היא מלכותא וליה ישתמעון עממיא, *Non recedet dominationem exercens à domo Iudæ, & Scriba de filÿs filiorum eius vsque in sæculum*

sæculum donec venerit Meßias cuius est regnum, & cui obedient populi. Prophetiam explicat de Meſſia, additque regnum vt ſenſum compleat, donec venerit Meſſias שֶׁלֹו cuius eſt regnum. שלו enim pro ratione antecedentium & conſequentium explicatur non modo, quod, aut, quæ ipſi, ſed etiam, cuius, vel, cui eſt. Textus ſolitarius hoc habet tantùm, *Non auferetur ſceptrum de Iuda, &c. donec veniat cui est*, reticentia eſt prophetica, quæ elegantem continet ſenſus ἐξοχὴν; Reticentiam interpretatione ſua explicant 70 & Onκelos. Sic Salomon Iarki, & textum & Onkelos interpretatur, commentario in hunc locum, *Non auferetur ſceptrum.* מדוד ואילך אלו ראשי גליות שבבבל שרודים את העם בשבט שממונים על פי המלכות · והמחקק אלו תלמידים ואלו נשיאי אר׳ ישראל עד כי יבא · מלך המשיח שהמלוכה שלו וכן תרגמו אנקלוס *à Dauide, & deinceps. Hi ſunt capita captiuitatis quæ ſunt Babylone quæ dominantur populo cum ſceptro, quia gubernant ad modum regni. Et legiſlator de pedibus eius. Hi ſunt diſcipuli & principes terræ Iſraëlis, donec veniat. Rex est Meßias, quia regnum est ipſius, & ſic interpretatur Onkelos, &c.* In editione Theſſalo-

R

nicensi quam exscripsimus vtrobique est אלו ; in excusis Venetis semel, post תלמודים, sed perperam. Per sceptrum intelligit Iarki eos qui Babylonicæ captiuitati præerant quod è tractatu Sanhedrin, desumpsit.

Thargum Hierosolymitanum legit eodem modo שָׁלוֹ, vt de Messia interpretatus est, לא פסקין מלכין מדבית יהודה אף לא סכרין מלפי אוריתא מבני בנוי עד זמן דייתי מלכא משיחא דדידיה היא מלכותא וליה עתידין דישתעבדין כל מלכותא דארעא. *Non deficient reges de domo Iudæ, neque etiam cohibebuntur docentes legem de filijs filiorum eius, vsque ad tempus quo venerit rex Messias, quia huius est regnum, & futurum est vt ei subijciantur omnia regna terræ.* Quomodo legerit Ionathan paraphrastes non est omnino euidens, illius tamen verba huc referam, quod hanc prophetiam de Messia interpretur, לא פסקין מלכין ושליטין מדבית יהודה וספרין מאלפי אוריתא מזרעיה עד זמן די ייתי מלכא משיחא זעיר בנוי ובדיליה יתימסון עממיא. *Non deficient reges & dominantes de domo Iuda, nec Scribæ docentes legem de semine eius vsque ad tempus quo venerit rex Messias paruulus filiorum eius, &*

ipſi vectigales fient populi. Forſan legit iſte paraphraſtes שִׁילֹה, vt nunc habet textus Hebræus, & embryonem interpretatus eſt, vt nunc nonnulli Iudæi. De hac ſignificatione poſtea.

Eodem modo legit Saadias Gheon qui ante ſeptingentos & aliquot annos Pentateuchum Arabicè tranſtulit, וְלָא יְזוּל אַל קַצֹּאב מִן אַל יְהוּדָה וְאַל רַאסֵם מִן תַחְת אַמְרֶה וְאִלַי יַגִי אֶלְדִי הוּ לְהוּ וְאִלֵיהִ תַנְתַמַע אַל שֻׁעוּב, *Nec recedet ſceptrum de Iuda, nec legiſlator de ſub mandato eius, donec veniat ille cui ad ipſum eſt, & ad ipſum congregabuntur populi.* Aliter legere non potuit quàm שֶׁלֹּו. Puncta, literaſque Hebraicas exactè exhibuimus vt à Iudæis Theſſalonicæ cuſa ſunt. Illi perpetuo articulum אַל & per ſegol punctant, & à dictione ſeparant.

Eodem quoque modo legit Syrus Interpres qui hîc cum magnis Bibliis cuſus eſt, ܠܐ ܢܥܒܪ ܫܒܛܐ ܡܢ ܝܗܘܕܐ ܘܡܦܫܩܢܐ ܡܢ ܒܝܬ ܪܓܠܘܗܝ ܥܕܡܐ ܕܢܐܬܐ ܗܘ ܕܕܝܠܗ ܗܝ. ܘܠܗ ܢܣܟܘܢ ܥܡܡܐ *Non tranſibit ſceptrum de Iuda nec explanator de inter pedes eius donec veniat ille cuius eſt, & ad ipſum reſpicient gentes.* Antiqui omnes illi Interpretes variis locis & ſeculis ſcribentes à codicibus ſuis Hebræis eandem

quam Septuaginta Seniores lectionem collegerunt. Paraphrastes autem Chaldæos & consequenter alios qui interpretati sunt, *cuius est*, vel *quod ipsi*, legisse in textu Hebræo שלן, vt nos colligimus testatur R. Aben Melek in libro Miclal Iophi ad hunc locum, המתרגם על-המשיח ותרגם שילה כמו שלו דדיליה׳ וכן כב״ר עד כי יבא שילה עד שיבא מי שהמלכות שלו. *Qui interpretatus est hoc de Messia, interpretatus est quoque Silo, veluti* שלן, *cuius est. Et sic in beresith rabba, Donec veniat Silo, Donec veniat ille cuius est regnum.* Refert ille ad Dauidem, sed eorum sententiam improbare non audet qui ad Messiam referunt. Locus quem citat in Tanchuma legitur, & infra ex eo integrum referemus.

Secunda istius dictionis lectio est S. Hieronymi qui legit, שלוח. Præteritum Pahul à themate שלח, *misit*. Interpretatur enim *Donec veniat qui mittendus est*. Expressit per futurum propter prophetiam quod legebat in codice suo per præteritum passiuum, *missus*: Messias enim per antonomasiam ille est qui à Patre missus est. Non mirari non possũ viros duos Hebraicè doctissimos Nicolaum de Lyra, & Galatinum testari nonnullos Iudæos

hanc dictionem שילה missionem interpretari, & per eam Nabuchodonozorum intelligere, quasi qui mittendus fuerit vt Iudæorum peccata puniret. Verùm cui harum rerum scienti incognitum esse potest שילה missionem siue mittendum nulla ratione significare posse? Quomodo Iudæis illis, si vlli vnquam fuerunt qui sic hanc dictionem interpretati fuerint, assentiri potuerunt? Per Siloh quidam Iudæi à Iudæo Karaita cuius opus in legem habeo manuscriptum Nabuchodonozorum intellexisse perhibentur. Eundem in illa Prophetia intelligere videtur Iulianus Apostata apud Cyrillum lib. 8. in ipsum. At interpretationis suæ rationem non à significatione Grammatica istius dictionis, quodcunque tandem illa significet, sed ab vrbis, templique ruina, & Sedeciæ regis filiorumque captiuitate deriuant. Hanc interpretationem vterque improbat, & meritissimè. Prædicit enim Iacob non Iudæorum calamitatem sed gloriam, vt ex singulis pericopis non modo illius versus, sed & antecedentium & consequentium qui ad Iudam spectant. Deinde non omnino recessit sceptrum à Iuda quum è Dauidis familia in ipsa captiuitate principes

habuerint Salathielem Iechoniæ regis filium, & Zorobabelem qui Iudæorum è captiuitate redeuntium caput, princepsq; fuit. Ipsis præterea suis legibus in media Babylone viuere licuit, & earum præuaricatores morte punire, vt Susannæ testatur historia.

Denique hæc omnia cessasse demus; breuissimum est tempus quo elapso autoritatem pristinam recuperarunt, atque adeo breue vt hominum memoriam non excesserit. Plerique enim eorum tria illa tempora viderunt, Reges sceptro potiuntes, & Hierosolymam cum templo integram; populum Babylone captiuum; & eundem captiuitate liberatum, vrbem, templumque ædificantem, Esdræ cap. 3. & Aggæi 2. Adeo autem est ista sententia absurda, vt ex plurimis Iudæorum interpretationibus quas legimus nulla nobis occurrerit eiusmodi, præter istam à solo isto Karaita commemoratam, & improbatam: Ideo vnde Lyra. & Galatinus eam acceperint, diuinare non possum. Rationem verò è textu petitam cui inniti volunt hanc sententiam Iudæorum nullus in medium protulit.

Tertia lectio est textus Hebræi Sama-

ritanorum cuius iam in præfatione nostra mentionem fecimus. Illi legunt שלה tranquillus, pacificus, seu potius transitiuè, pacificans, tranquillans, sic se habet versus, [Samaritan script] *Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de medio vexillorum eius, donec veniat Pacificus, & ad ipsum congregabuntur populi.* Sanè per antonomasiam Messias rectissimè dicitur pacificus, siue pacificans, & sic vocatur Dominus noster. Matt. c. 21. *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, &c.* Interpres Samaritanus dictionem שלה retinuit, nec explicauit, [Samaritan script] *Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de ordinibus eius, &c.* vt supra. Charactere Assyrio sic scribendum est, לא׳ יסטי׳ שבט׳ מיהודה׳ ומנגר׳ מבין׳ סרריו׳ עד׳ הלא׳ ייתי׳ שלה׳ ולידה׳ יתנגרון׳ עמין׳. Itaque מחקק, interpretatur, *ducem*, & verbum יקהתו, per יתנגרו, *adducentur.*

Quarta lectio, Neotericorum est Iudæorum שִׁילֹה, Siloh, de qua plura capite sequenti.

Quinta lectio dictionem in duas diuidit

שי לה, ſchai, loh, hoc eſt, munus ſiue donum ipſi. Iſtius lectionis mentionem facit ex antiquo Midraſch R. Salomon Iarki loco iam citato. ומדרש אגדה שי לו שנאמר יובילו שי למורא. *Midraſch autem myſticus interpretatur ſchai lo munus ipſi, ſicut dictum eſt, afferent munus Deo terribili. Pſal. 76. 12.* Itaque legit antiquus ille commentator שי לו, per vau, non per he, vt nunc Iudæi, dictionemque præterea in duas diſpeſcuit. Eam enim per He legere barbariſmus eſſet, ſeu potius ſolœciſmus quo genus fœmininum pro maſculino enuntiaretur. Iudaica tamen lectio, in duas dictiones diuiſa, vt vult ille Midras, mirabilem & verè Chriſtianum ſenſum complectitur; quo nullus ſolœciſmus aut ſolœcophanes committitur. Sic enim legendus verſus, *Non auferetur ſceptrum de Iuda, &c. donec veniat munus ſiue donum ad ipſam*, id eſt, donec Meſſias in Virgine Maria concipiatur, ſeu, donec Spiritus ſanctus qui eſt Patris maximum donum, Mariam Virginem obumbret, ipſaque illius virtute Saluatorem mundi in vtero concipiat. Sic verùm hîc contingit eſſe quod Græcorum prouerbio iactatur, Νῦν εὖ πεπλόηκα, ὅτε νεναυάγηκα.

Cap. II.

Eiusdem dictionis שִׁילֹה, decem è Rabbinis originationes, & totidem significationes eruuntur.

1. שִׁילֹה, Siloh, vox barbara sacro textui inusitata. 2. Duplex in Masora notatur error. 3. Dictionis istius quinque etyma, & tot significationes tradit Abenesdra. 4. Hæreticis quæ magis placeat, & quamobrem. 5. Qua ratione ista lectio Christum è Virgine nasciturum prædicit. 6. Rabbinicis etymologiis duæ superadduntur.

I. DE hoc loco nobis est agendum, vt in Hebræo Iudæorum textu nunc legitur, & examinandum an æquè validum ex eo pro aduentu Messiæ argumentum elici possit, ac ex eodem iuxta 70 Interpretes aut Vulgatam desumpto. Textus neotericus est, *Non recedet sceptrum de Iuda, &c. donec veniat* שִׁילֹה *siloh;* Ex quo nullum validum Aduentus Messiæ argumentum elici potest. Ratio est in promptu euidens & planè necessaria. Nescitur quid sit Silo: dictio est in scripturis inusitata, quæ alibi præterquam hoc loco nus-

quam deprehenditur, cuiuſque vt vocis barbaræ ignoratur ſignificatio. Huius dictionis etymologias nouem, aut decem, totidemque ſignificationes tradunt Iudęi, Vnde certiſſimè probatur ex hoc loco nihil colligi poſſe, cum per ſe dictio illa nihil ſignificet, & ratione habita ad varias originationes in tot ſenſus diſtrahi poſſit. A ſenſu incipiam qui iuxta Grammaticam mihi videtur probabilior.

Maſorethæ exiſtimarunt dictionem illam eſſe nomen proprium vrbis Silo, in qua tabernaculum fœderis, arca, & alia quæ ad Dei cultum pertinebant, conſeruabantur. Comparant enim iſtam dictionem & hunc locum cum iis ſcripturæ locis in quibus Silo nomen propriũ legitur. Sic Maſora magna ad hunc locum, שִׁילֹה ל׳ כתי׳ כן וח׳ כתי׳ שלו וסי׳ הנה חג יי׳ בשלו׳ תביאהו בית יי׳ שלו׳ כי נגלה שלו׳ ואחיה בן אחיטוב׳ כאשר עשיתי לשלו׳ מדוע נבית בשם יי׳ ויבאו אנשים משכם׳ ויטש משכן שלו׳ ושאר שלה ככ׳ *Non amplius ſcribitur ſic,* שִׁילֹה, *octo autem ſcribuntur,* שלו. Quæ ſequuntur ſunt indices iſtorum octo ſcripturæ locorum in quibus vrbis Silo fit mentio, & ſic ſcribitur, שלו, Iudic. 21. 19.

1.Reg.1.24.& 3.21.& 14.3. Ierem.7.14.& 26.9.& 41.5. Ps.78. v.60. Postea addunt, *& reliqua scribuntur* שִׁלֹה. hoc est, in cęteris locis vbi fit mentio vrbis Silo, scribitur per He, sine vau & jod. Itaque iuxta celebres illos & accuratos sacrorum librorum Censores dictio illa prout in Hebræo textu, nunc iacet nomen est proprium vrbis Silo. Masorethas sequuntur multi Iudæi: Cum enim reliquæ dictiones Silo defectiuè scribantur, שִׁלוֹ vel שִׁלֹה, hic plenè scribitur, expresso scilicet jod sub chirik latente, hoc modo שִׁילֹה. Quod millies & millies in textu sacro contigit, dictionem semel, bis, terve plus minus esse plenam, hoc est, exprimi jod vel vau, & aliis omnibus in locis deficere, vel è contra. V.g. paulò superius v. 8. יודוך *laudabunt te*, adnotatur כול מל בםא, *omnes plenæ præter vnam*, quæ scilicet scribitur ידוך defectiuè. E contra versu 25. ad dictionem ברכת adnotatur, ו׳ ה׳ חס׳ וא׳ מל׳, *sex sunt, quinque deficiunt, vna plena est*, scribitur scilicet ברכות, &c. Hoc autem semel concesso hanc dictionem esse vrbis Silo nomen proprium ruit penitus Christianorum argumentatio. Itaque errorem in textum irrepsisse illis necessariò fatendum est, quod textus circumstantiæ

non difficilè Iudæos euincunt. Nam ex שילה nec שָׁלוֹ nec שָׁלוּחַ confici poteſt.

II. Antequam vlterius pergam Lectorem notare velim duplicem Maſoræ inter columnaris errorem. Notat ad dictionem שילה hoc modo לׄ כבׄ וחד שילו כתיב. *Non eſt amplius ſic, & vnum ſcribitur* שילו. Nam nulla dictio ſcribitur in textu Hebręo שילו ſed octo ſcribuntur שלו ſine jod, & vna ſcribitur שילה ſine vau. Itaque ſic corrigenda Maſora, לׄ כבׄ וחׄ שלו כתוב. Iterùm corrigenda ſequens nota Maſorethica, לׄ וחׄ ליקהת. *Non extat amplius, ſed octo ſcribuntur* ליקהת. Nam ſemel tantùm legitur, ליקהת, Pro. 30. 17. Itaque reponendum, לׄ והד ליקהת. En quàm bellè ex iſtis notulis textum Hebræum emendares?

III. Abeneſdra hanc Maſorethicam interpretationem plurimùm approbat, illi tamen quatuor etymologicas interpretationes ſuperaddit. Breuiter iſta enarrat, שילה
יש אומרים בדרך המתרגם ארמית בטעם
שלו · ויש אומרים שהוא מגזרת ובשילתׄ
ויש מי שהוציאו מלשון קדמוננו זל שליל·
ויש מי שפירש אותו על עיר שילה ויפרש
יבוא כמו ובא השמש או עד כי יבא קץ
שילה כי בן כתוב ויטוש משכן שילה ואחר

כן ויבחר בדוד עבדו גם זה איננו רחוק׃ או יהיה שילה כמו בנו וההא תחת ויו כמו בתוך אחלה מגזרת לא תשלה אותי שפי׳ לא תוליד׃

Sunt qui interpretentur hanc dictionem iuxta Interpretem Chaldaicum eodem sensu quo שלו *, cuius est. Alij dicunt quod deriuatur à significatione istius nominis,* ובשליתה *, Deuter. 28. v. 57. & in secundina eius. Alij à dialecto antiquorum nostrorum s. m.* שליל *, quod abortiuum significat. Est qui interpretetur dictionem istam de ciuitate Silo, & interpretatur,* יבוא *, occidat, veluti, & venit Sol, id est, occidit vel donec veniat finis Silo. Sic enim scriptum est, & deseruit tabernaculum Silo, & postea elegit Dauidem seruum suum, Quod quidem non est longè petitum. Aut denique erit Silo veluti filius eius, & he loco vau, veluti in Genesi* בתוך אהלה *, vbi pronomen fæmininum est pro masculino, à deriuatione significationis quam verbum* שלה *habet. 2. Reg. 4. 28.* לא תשלה אתי *, Ne parere facito me.*

IV. Præ cæteris secunda significatio placet hæreticis. Hanc etiam approbant plerique Iudæi, Kimhi in radicibus, Bechai, Bengersom, Arama, Aben Melek, & alij. Est igitur sensus iuxta hanc interpretationem, *Non auferetur sceptrum de Iuda, &c.*

donec veniat ſecunda eius. Quum autem horrorem legenti incutiat hæc propoſitio, eam emollierunt ſubſtituendo, *filius eius.* Mirificâ metaphorâ ſecunda puerperæ pro ipſius filio ſumitur, aut ſi mauis metonymiâ qua continens pro contento. Geneuenſes dictionem homonymam Silo in textu Gallico relinquere maluerunt, vt & qui Anglicè Biblia verterunt, *The ſcepter shal not depart from Iuda, &c. vntil Schiloh come.* Sceptrum non recedet à Iuda, donec veniat Schilo.

Non eſt difficile conjicere quamobrem tantopere placeat hæreticis vt & fere Iudæis iſta interpretatio. Vtrique virginitatem Matris Meſſiæ negant, hi ante & poſt partum, illi poſt partum. Fauet vtrique opinioni neoterica textus Hebræi lectio, Hac de re differentem audiamus R. Bechai in hunc locum. Dictione שילה, Silo, ſcribit primùm ſignificari Moſen; Deinde ait appoſitè magis Dauidem intelligi, Denique & Meſſiam. Verba quæ hoc poſtremum colligunt, referemus, לא יסור שבט מיהודה על מלך המשיח הגואל האחרון וזהו שאמר עד כי יבא שילה כלו בנו היוצא מזרעו וטעם מלת שילה שלא אמר בנו

עשה זה יעקב בכוונה בנגד אמונת אדו׳ כי ידע ברוח הקדש טעם אמונתם ועל כן הזכיר המשיח בשם שילה כלומר בנו שנולד משלית אשה בדרך כל הנולדים מלשון ובשליתה היוצאה מבין רגליה׳ *Non recedet sceptrum de Iuda, de rege Meßia postremo redemptore intelligi potest, & hoc est quod dicitur, donec veniat Silo, quasi diceretur, filius eius egrediens de semine eius. Ratio autem dictionis Silo, quare non dixit filius eius? Hoc de industria fecit Iacob aduersus fidem Christianorum. Cognouerat enim per Spiritum sanctum sensum rationemque fidei eorum, & ideo Meßiæ mentionem fecit sub nomine Silo, quasi dixisset, filius eius qui nascetur de secundina mulieris iuxta consuetudinem omnium qui nascuntur. Deriuatur hac significatio ex Deut. 28. v. 57. vbi dicitur, Et secundinæ eius, Beschil-jatah, quæ egreditur de medio pedum eius.*

De istius corruptelæ etymo id Iudæis & hæreticis obijcere possumus quod Iosephus à fratribus malè acceptus respondit, *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum.* Hinc enim illustrissimum sanctissimæ Virginis Mariæ elogium colligere possumus : Nec solœcismum com-

mittere, vt illis pro ſecundina ſua, nobis erit neceſſe. V. Naturalem enim & genuinam dictionum ſyntaxim ſequemur. שילו igitur iuxta illos filium ſignificat: Dic ſi ita placet, ſecundinam, שילה, ergo eſt filius eius fœminæ, *αὐτῆς*, ſicque legi debet שִׁילָה ſchilah, He enim eſt relatiuum fœmininum. Iſta igitur dictio שילה ſi pro nomine proprio non ſumatur, & quid ſine ſolœciſmo ſignificare debeat, Meſſiæ matrem non quamuis ſed inſignem quandam, & antonomaſticè ſic vocatam; *Non recedet ſceptrum de Iuda, nec dux de femore eius donec veniat filius iſtius mulieris.*

Α'εὶ γὰρ εὖ πίπτουσιν οἱ Διὸς κύβοι.

Sextam ſignificationem & etymologiam docet Abarbinel in hunc locum, Silo ſignificare dolum & fraudem, & deriuari à ſignificatione dictionis שלי. 2. Samuel. 3. 27. vbi dicitur de Ioab quod locutus fuerit cum Abner בשלי, *in dolo.* Ita vertit etiam S. Hieronymus, alij vertunt pacificè. Textus vtramque interpretationem patitur. Ait igitur, *Non recedet ſceptrum de Iuda, &c. donec veniat fraus & dolus.* Iſtud etymon excogitauit vt ſuorum ſententiam confirmet qui Prophetiam illam referunt ad Ieroboam aut Haſmonæos. Affirmant enim

enim dolo & maximo cum peccato sceptrum à tribu Iuda ad se deriuasse, & ideo grauiter à Deo punitos, malignam autem illam vsurpationem Patriarcham designasse. R. Abraham Seba autor Commentarij in legem cui titulus Tseror Hămor ab eodem verbo deriuat, sed alio nomine & significatione; à nomine שַׁל, quod semel reperitur in Scriptura, 2. Sam. 6. v. 7. & à multis redditur error, imprudentia, vt ab eo, à Kimhio, Salomone Iarki, paraphraste Chaldæo, necnon S. Hieronymo.

Septimam interpretationem tradit Karaitæ Commentarius in legem. Quatuor modis explicat dictionem Silo; primus qui illi valde placet, est, vt intelligatur vrbs Silo, suppletque post שבט nomen הנוגש hoc sensu, Non recedet virga exactoris ab eo donec deseratur tabernaculum Silo, quod supra ab Abenesdra explicatum. Secundus & tertius de Dauide & Messia; vtrumque approbat, nouamque hac occasione etymologiam profert, וימ׳ שילה הוא מלך המשיח אשר יצא ממנו מלש׳ וגם שול תשולו, *Nonnulli interpretantur Silo regem Meßiam qui ex eo egreditur significatione desumpta ex schol thasolu, soluendo soluetis.* Ruth. 2. v. 16. sensus est; Non auferetur

virga exactoris ab eo donec veniat Messias qui dissoluat illam. Idem ad Dauidem commodè referri posse scribit. Denique eorum improbat sententiam qui per Siloh Nabuchodonozorum intelligunt.

Octaua est antiqui Midras qui dictionem in textu vnicam in duas diuidit hoc modo שַׁי לוֹ, de qua capite præcedente dictum est.

Nona est Talmudistarum tractatu Sanhedrim fol. 98. pag. 2. qui scribunt, Silo vnum esse è nominibus quibus Messias appellabitur. Quid autem significet, aut quare sic appelletur, non explicant; sed ex eorum sententia tantùm colligitur, nomen esse Messiæ proprium. Locum integrum capite sequenti referemus.

Denique liber antiquus Tanchuma siue jilmadenu, dictionem Silo interpretatur veluti scripta esset, שלו vt legerunt 70 Interpretes, & Paraphrastæ Chaldæi. Verba ipsius hûc referemus, לא יסור שבט זה כסא מלכות כסאך אלהים עולם · ועד שבט מישור שבט מלכותך ומחקק מבין רגליו כשיבא אותו מלך שהמלכות שלו שכתוב בו ברגלים תרמסנה עטרת גאות

שכורי אפרים · עד כי יבא שילה שהמלכות שלו. *Non recedet sceptrum, hoc est solium regni, thronus tuus Deus in æternum, Et adhuc, Virga rectitudinis, virga regni tui. Et dux de pedibus eius, Cum venerit rex ipse cuius est regnum, de quo scribitur, Pedibus cõculcabuntur coronæ superbiæ, Ebriorum Ephraim. Donec veniat Silo, ille cuius est regnum.* Itaque vel simpliciter legit autor ille in textu Hebræo Biblico, שלו, quod nunc scribitur, שילה; vel si legit, שילה, vt scriptum videmus in ipsius commentario, existimauit jod esse adscititium vt in היעשה, Exod. 25. דברתי, Psal. 109. & alibi, atque ה pro ו, positum esse: vel addidit jod Rabbinico more, vt doceret legendam dictionem per vocalem, e, &, ש, relatiuum esse: vel denique scriptum est in ipsius textu שילה, ab Amanuensi ex solita istius dictionis in textu Biblico scriptione. Vtvt sit, disertis verbis dictionem illam interpretatur שֶׁלּוֹ *cuius est*, & supplet, *regnum*. Hanc interpretationem שילה non improbant RR. Salomon Iarki, & Abenesdra, vt supra dictum, & de Aben Melek capite sequenti docebitur.

VI. Has istius dictionis originationes, & interpretationes literales & Grammaticas

è Iudæorum libris collegimus, pluresque non minùs idoneæ fingi possunt. Quum enim dictio illa, vt nunc in textu Hebræo legitur, nihil per se Hebraicè significet, sitque prorsus inusitata, quisque eam pro libitu ad suum scopum mentemque facilè trahet. Sanè si hanc dictionem à radice שִׁיל, deriuemus optimè omnium etymon istud Grammaticæ criticæ & consuetæ nominum Hebraicorum deriuationi & formationi conueniet, siue שִׁיל legas, ita vt ה, sit pronomen; siue שִׁילָה, ita vt ה pertineat ad formationem nominis. Sic à גּוּל, lætari, גִּיל, &, גִּילָה, lætitia: à שׁוּר, canere, שִׁיר, & שִׁירָה, cantus, à שׁוּחַ, meditari, שִׂיחַ, & שִׂיחָה meditatio, & alia quæ vsurpantur vtroque genere, vel alterutro, vt à צוּר, arctauit, צִיר, dolor; à רוּב, litigare, רִיב lis, à פּוּחַ, flauit, פִּיחַ fauilla, à פּוּק, titubauit, פִּיק, titubatio, & pleraque alia. Genere quoque fœminino nonnulla קִין lamentari, קִינָה, lamentatio; חוּד, ænigmaticè loqui, חִידָה, ænigma. Vix exemplo simili ex quiescentibus tertia ה deriuari docebitur, ista dictio, vt pleræque Rabbinorum notationes deriuant; nam שִׁיבָה ad rem non faciet; deducitur enim à שׁוּב, vt significat captiuitatem reducem, & à יָשַׁב, vt ses-

ſionem, & ad has radices à Kimhio aliiſq; refertur, vt שיב & שיבה cum puncto in ſiniſtro cornu à שוב caneſcere. Verùm שול, vt verbum, non eſt in vſu, vt nomen, fimbriam ſignificat. Itaque, שיל, ſiue שילה, ex hoc etymo fimbriam ſignificaret, vt ex nomine שליה à Rabbinis eiuſdem dictionis interpretatio arceſſitur. Etyma ex verbo שלל magis Grammaticæ conueniunt quàm à, שלה, dicitur enim per chirik, סבה à סבב· חתה à חתת· זמה à זמם· Deduci etiam poſſet à נשל eiecit, excuſſit, vt שין, à נשן. Quapropter firmiſſimum illud Chriſtianæ fidei propugnaculum quod ex hoc verſu aduerſus Iudæos Patres promere ſolebant, hodierna lectione prorſus debilitatur & labaſcit.

CAP. III.

Referuntur teſtimonia Rabbinorum antiquorum & recentium qui per Siloh Meßiam intellexerunt, quorum autoritate argumentum Chriſtianum, quod in neoterico textu Hebræo labefactatum eſt, inſtauratur.

QVanquam è textu Hebræo illius verſus vt nunc legitur, nullum validum aduersùs Iudæos argumentum elici

possit, Christianis tamen non omninò periit: suppetias enim venit constans Iudęorum antiquorum traditio, quæ fert locum istum de Messia intelligendum esse. Ex quo non ineuidenter colligi videtur corruptelam istam non Iudæorum malignitate, vt nonnulli viri docti existimant, factam esse, sed casu fortuito irrepsisse: Malignitatem saltem si qua fuit, Iudæi plerique non approbarunt, cum antiqua traditione vt antidoto vsi, totum illum versum, dictionemque istam potissimùm de Messia interpretentur. Christiani igitur aduersùs Iudæos disputantes, quoties dictionis Silo homonymiâ & insulsitate freti diuerticula & suffugia captabunt, illis antiquam suam traditionem vt Gorgonæ caput obtendere poterunt, cui vix ac ne vix quidem autoritatem derogare audebunt. Quod si qui fecerint, Christianos saltem ille ipse locus tam constanti hostium fidei nostræ traditione corroboratus mirificè confirmabit, & religioni Christianæ nondum initiatos facilè persuadebit.

Supra retulimus trium Paraphrastarum disertum hac de re testimoniū, necnō RR. Salomonis Iarki, Bechai, Aben Melek, & Karaitæ eiusdē interpretationis approba-

tionem. Nonnulla alia testimonia maximi apud eos momenti præcedentibus addere iuuat. A Talmudistis incipiam. In tractatu Sanhedrin capite vndecimo fol. 98. pag. 2. Interrogat R. Iochanan quale sit nomen Messiæ. Varij varia respondent, sed primùm ad nomen Silo recurrunt, דבי רבי שילא אמרי שילה שמו שנאמר עד כי יבא שילה · דבי רבי ינאי אמרי ינון שמו שנאמר יהי שמו לעול׳ לפני שמש ינון שמו · דבי ר׳ חנינא אמר חנינא שמו שנאמר אשר לא יתן לכם חנינה ויש אומר מנחם בן חזקיה שמו וכו׳ · *Familia R. Sila respondit, Silo nomen eius, vt dictum est, Donec veniat Silo. Familia R. Ianai respondit, Ijnon nomen eius, vt dictum est, erit nomen eius in sæculum ante Solem (Iinnon) propagabitur nomen eius. Familia R. Chanina, dixit, Chanina nomen eius, sicut dictum est, Quia non dabit vobis (Chaninah) gratiam. Est qui dicat Menahem filius Ezechiæ, &c.* Plura referunt quæ nihil nunc ad nos spectant.

In libro Ialcuth citatur explicatio istius versus desumpta ex tractatu Talmudico Horioth c. 3. Percurri totum illud caput nec citationem deprehendi. Forsan percurrens eam transilij, aut alio è loco de-

ſcripta eſt. Commentarius eſt in vniuerſa Biblia è Talmude & antiquis Commentatoribus totus contextus, Prædicatoribus inſeruiens, magnæque apud Iudæos autoritatis. Sic ille refert numero, 160. לא יסור שבט מיהודה זה משיח בן דוד שהוא עתיד לרדות המלכות בשבט שנאמ׳ תרעם בשבט וכו׳ עד כי יבא שילה שעתידין כל האומות להביא דורין לישראל ולמלך המשיח שנא׳ יובילו ליי צבאות. *Non recedet ſceptrum de Iuda, hoc eſt, Meßias filius Dauid, quia dominaturus eſt regno in ſceptro, vt dictum eſt, reges eos in virga.* Paulò poſt. *Donec veniat Silo, Quia populi allaturi ſunt dona Iſraeli & regi Meßiæ, vt dicitur, afferent Domino Sabaoth.* Diuidunt illi dictionem Silo in duas, vt ſupra de quodam antiquo Midras dictum eſt.

Antiquiſſimus commentarius in Pentateuchum qui Rabboth dicitur, commentario in Geneſin qui Breſith Rabba vocatur ſect. 98. ſic refert, לא יסור שבט מיהודה זה מכיר וגו׳ ומחקק מבין רגליו׳ שבא ונתחבט לפני רגליו׳ עד כי יבא שילה׳ זה מלך המשיח *Non recedet ſceptrum de Iuda, hic eſt Machir, &c. & dux de pedibus eius, quia venit, & incuruatur ante pedes eius. Donec veniat Silo,*

hic eſt Rex Meßias. Quare hîc de Machir filio Ammielis de quo 2. Reg. c. 17. qui Dauidi fugienti obuiam venit, diuinare non poſſum. Quidquid ſit Silo Meſſiam interpretatur.

R. Moſes Bar Nachman in hunc locum, אבל ענינו שלא יסור שבט מיהודה אל אחר מאחיו כי מלכות ישראל המושל עליהם ממנו יהיה ולא ימשול אחר מאחיו עליו וכן לא יסור מחקק מבין רגליו שכל מחקק בישראל אשר בידו טבעת המלך ממנו יהיה כי הוא ימשול ויצוה בכל ישראל ולו חותם המלכות עד כי יבא שילה ולו כל יקהת העממים לעשות בכולם כרצונו וזהו המשיח כי השבט ירמז לדוד שהוא המלך הראשון אשר לו שבט מלכות ושילה הוא בנו אשר לו יקהת עמים· *Sed ſenſus eſt quod non recedet ſceptrum de Iuda, vt transferatur ad vnum è fratribus eius, quoniam regnum Iſraeli dominans ex ipſo erit; nec alter è fratribus eius dominabitur ei. Eodem modo non recedet legiſlator de medio pedum eius; quia legiſlator omnis in Iſraele in cuius manu eſt annulus regis, ex eo erit: Nam ipſe regnabit & imperabit vniuerſo Iſraeli, & ad ipſum pertinebit ſigillum regium donec veniat Silo, &*

ad ipsum erit stupor & debilitatio gentium vt in omnibus faciat iuxta arbitrium suum: Ille autem est Meßias. Nam sceptrum denotat Dauidem qui primus est rex, ad quem pertinuit sceptrum, & Silo filius est eius, ad quem spectat populorum ille stupor, & debilitatio. Dictionem יקהה deriuat à verbo קהה, obstupescere, hebetare, idque probat ex Talmude, & antiquo Midras, cui iungere possumus librum Beresith Rabba loco iam citato: Ideo vult jod esse hemanticam vt in יצהר, eosque arguit qui congregationem aut obedientiam interpretantur.

R. Arama commentario celebri & diffuso in legem qui inscribitur עקידת יצחק, ligatio Isaaci multis aduersus Christianos hanc prophetiam exagitat, fatetur tamen per Siloh Messiam intelligi, עד כי יבא שילה והוא הבן הקטן העתיד לצאת מבן רגליו לקץ ימים רבים כמו שתרגם אנקלוס ובשליתה ובזעיר בנהא כי הוא אשר יקהל אליו כל הגוים וימלך עליהם מלכות שלמה כמו שאמר וישתחוו לו כל מלכים וכו׳ ומשם ואילך לא יוסיף לכרוע אבל כלם לפניו יכרעו ואפילו דכתיב לפניו יכרעו ציו׳ *Donec veniat Silo. Ille est filius paruulus qui egressurus est de medio pedum eius, post multos*

dies, vt interpretatur Onkelos, ובשליתה. *Deuter. 28. paruulum filium eius. Nam ille est ad quem congregabuntur omnes gentes, & qui regnabit super eas imperio pacifico, vt dictum est, & adorabunt eum omnes reges. Deinceps autem non prosternetur iterum, sed omnes ante faciem eius prosternent se, & cadent, vt scriptum est ante faciem eius curuabuntur insulæ,* &c.

Multis quoque dum Abarbinel de hoc loco disputat commentario in legem, remque in multas partes versat, in duas præcipuè, eam quæ de Dauide Siloh explicat, & eam quæ de Messia, & vtramque docet Patriarchæ proposito conuenire, conaturque insuper argumenti aciem quæ Iudeos iugulat, eludere. R. MOSES Alsich in hunc versum pauca habet, sed quæ sermoni nostro apprimè quadrent. עד כי יבא שילה הוא מלך המשיח הוא דוד והוא גמר הרכז שענין יהודה הוא דוגמת דוד העתיד והוא מלך המשיח. *Donec veniat Siloh, Iste est rex Messias, ipse est quoque Dauid: & hoc significat clarè quod causa, & ratio qua agitur hic de Iuda exemplum est mysticum Dauidis futuri, qui est rex Messias.* Denique autor libri celebris Arba turim in notulis margi-

nalibus ad Biblia notat, יבא שילה, *veniet Silo*, idem esse Ghematricè quod Messias. Vtrumque enim משיח, & יבא שילה numerum 358 componit. Licet igitur ex vi textus Hebraici, vt nunc legitur, nullum possit aduentus Messiæ argumentum elici, id tamen, vt demonstratum est, ex constanti Iudæorum traditione textui coniuncta validissimè probatur.

Cap. IV.

Locus Psal. 21. de Messiæ crucifixione in Hebræo textu corruptus, ex Masora & antiquis codicibus restituitur, & argumento Christiano vis redditur.

Locus secundus è versu 17. Psalm. 21. vel iuxta Iudæos 22. desumitur. Secundum 70 Interpretes & Vulgatam sic se habet versus hemistichium, *foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea*, quibus modus, formáve mortis Christi per crucifixionem euidentissimè denotantur; nec est opus argumentum texere, cum per se manifestum sit. At secundum textum Hebræum vt nunc legitur, inde nullum planè argumentum confici potest. Sic enim se habet textus,

Tanquam leo manus meæ, & pedes mei. Corruptela est in mutatione literæ vau in jod. Legerunt 70 Interpretes in textu Hebręo, כָּרוּ vel כָּארוּ, nunc legitur, כָּאֲרִי. Non citatur disertè hic versus ab Apostolis; euidens tamen est integrum hunc. Psalmum de Messia esse intelligendum, & toto Psalmo mortis Christi circumstantias graphicè depingi. Deinde versus sequens in causa mortis Christi à Ioanne Euangelista c. 19. allegatur, & v. 23. in Epist. ad Hebr. c. 2. profertque Christus in cruce iam moribundus illius Psalmi initium. Denique textus corruptela est adeò manifesta & peruersa, vt hactenus nullæ Iudæorum glossæ illi colorem inducere potuerint. Eas hûc referre nihil ad rem nostram confert.

Non tamen omninò periit testibus ipsis Iudæis tam euidens Christianæ fidei argumentum. Adnotat enim parua Masora ad hanc dictionem, ב׳ קמצין בתרי ליש׳ שויתי עד בקר, *Duo scribuntur cum Kamets duplici significatione, sperabam vsque ad mane.* Postrema verba notant caput Isaiæ 38. v. 13. vbi similiter legitur כָּאֲרִי, *Kaari*, tanquam Leo, caph affecto Kamets. Autor istius adnotationis scribit duas illas dictiones

ſcribi cum Kamets in duplici ſignificatione. At dictio illa apud Iſaiam nihil aliud ſignificare poteſt quàm Leonem, Ergo Pſalmo 22. docente iſto autore Leonem non ſignificat. Quid igitur aliud quàm, foderunt aut fodientes? Verbi gratia, Iob 27. 11. ad dictionem אוֹרֶה, adnotatur, ב׳ בתרי לישׁ׳ צירה, *Duo ſunt in duabus ſignificationibus, ad latus*, hoc eſt, 1. Sam. c. 20. 20. vbi eadem dictio ſimiliter punctata reperitur, ſed alia ſignificatione, Nam in priori ſignificat docebo, in poſteriori, iaculabor. Sic Deuter. 32. 27. ad dictionem אָגוּר Agur idem notatur, & innuitur verſus 1. c. 30. Prou. vbi Agur eſt nomen proprium, & in Deuter. loco ſignificat, timebo. Idem vide Geneſ. 39. 12. בְּבִגְדוֹ *in veſte eius*, adnotatur in duplici ſignificatione ſumi hîc & Exodi 21. 8. In Exodo enim ſignificat, *cum ille præuaricauerit*, Pleraque à Maſorethis adnotantur eiuſmodi. Quum igitur illarum notularum autores adnotent כארי, alid modo ſignificare. Iſaiæ 38. v. 13. alio modo Pſalmo 22. & leonem neceſſariò ſignificet in loco illo Iſaiæ, iuxta ipſorum mentem in illo Pſalmi loco Leonem non ſignificat.

II. Non modo notulæ iſtæ Maſorethicæ, verùm ipſa Maſora magna à Iudæis ſum-

mo cum labore olim collecta idem nos docet. In Alphabetis siue catalogis ordine alphabetico constructis præambulis seriei Aleph, Vnum est quod sic inscribitur אב מן בב ותרויהון בתרי לישני. *Alphabetum ex binis dictionibus, & ambæ in duabus significationibus.* In isto autem catalogo recensetur כארי, & notantur loci Psalm. 22. & Isaiæ 38.

Objiciet forsan Iudæus; Ex dictis saltem colligitur Masorethas Psal. 22. legisse כארי, Quid autem aliud significare potest quàm, *sicut leo?* Respondeo primùm esse posse participium præsens plurale in regimine cum nomine sequente, & explicandum *fodientes.* Eleganter autem participia præsertim pluralia regunt genitiuum cum forma nominum: vel esse nomen verbale à participio præsente formatum quod vocant Grammatici, שם התאר, quod explicari debet, fossores, vel etiam fodientes. Denique Masorethas in codicibus suis legisse quidem כארי, sed reponendum censuisse כארו, vt in serie literæ jod ipsi adnotant viginti quatuor esse dictiones quæ scribuntur in textu per jod, & leguntur cum vau; Econtrà dictiones esse quadraginta & vnam quæ scribuntur in

textu per vau, & legi debent per jod quas enumerat Masora textualis initio Samuëlis. Quidni igitur habuerint in ipsorum textu כארי, & legendum esse docuerint כארו, vau pro jod, atque hac ratione dictionem istam inter eas quæ vario sensu sumuntur recensuerint.

Objiciet iterùm, si, כארו legerunt, id deduci non potest à verbo, כרה, nam tertia persona pluralis à כרה, est כָּרוּ sine Aleph. Respondeo, post omnem motionem magnam exprimendam esse vnam è literis אהוי, aut saltem vnam ex his tribus, אוי; aut si non exprimatur sub ea latêre; ideoque ab ijs vocari, אמות הנשימה, matres pronuntiationis: Aleph autem rarò admodùm apparet inter duas consonantes, apparet tamen aliquando, notaruntque Masorethæ 48. eiusmodi dictiones, veluti וַיָּאצֶל, Numer. 11. 25. הַמְּלָאכִים *reges*. 2. Sam. 11. 9. קָאם Oseæ 10. 14. בְּדָאם, in sanguine, &c. similiter כארו pro כרו. sæpissimè apparent vau vel jod; Hinc Masorethis dictiones plenæ & deficientes dictæ.

Obijciet tertiò Iudæus literas eiusmodi à Masorethis non punctari, atque ideo titulum sic inscribi, מילי׳ נסבי׳ א באמצע׳ תיבותא ולא קריין, *Dictiones quæ recipiunt Aleph*

'Aleph in medio dictionis, & illud non legunt. Respondeo duplices fuisse Masorethas, vt docet Elias: Priores dictiones & literas recẽsuisse, multasque animaduersiones quę ad dictiones literas & versus spectant, elucubrasse; Posteriores puncta & accentus notasse, & eorum quæ ad hæc spectant, autores esse. Priores igitur cum puncta illis essent incognita, eorum rationem habere non potuerunt, sed literis tantùm attenti fuerunt. Superuenerunt Punctatores qui libros non conferentes, sed ratione sua sensum Biblicum metientes puncta inscripserunt, quos sæpius primi Grammatici castigarunt, eorumque inuentis addiderunt, vt non semel monet Elias & harum rerum scientibus manifestum est. Illi igitur sensum dictionis, כארי prout scribitur, & nihil aliud attendentes, כָּאֲרִי punctauerunt, existimantes dictionem esse אֲרִי leonem, & כ notam similitudinis. Verùm ego vicissim interrogo, quamobrem contra morem & regulam tam gutturalium quàm seruilium literarum Kamets scribitur sub caph: Nihil enim est quod istam motionem producere potuerit? Vix alia est causa quàm quod primi punctatores existimantes כארי esse idem quod כרו foderunt,

punctarunt כָּארוּ, Aleph vt epentheticum legentes. Alij postea opus Biblicum recensentes opinati sunt, כארי significare tanquam leo: ideo iudicarunt τῷ Aleph punctationem hoc loco aut antecessorum diligentiam fugisse, aut errore Scribæ omissam: Punctarunt igitur Aleph vt dictioni radicalem, vt aliàs punctari solet. Cùm autem constanter viderent Kamets sub Kaph, illud antiqua sede non mouerunt. Deinde cum aut ijdem, aut alij viderent hunc locum cum illo Isaiæ 38. 13. à Masorethis comparari, Kamets etiam isti contra regulas suas inscripserunt. Denique obijcere possunt, Quare igitur istam dictionem כארי non inseruerũt catalogo earum quæ Aleph recipiunt, & non legunt? Huic obiectioni in argumenti tertij explicatione satisfiet.

Antequam illud aggrediar notabit, Lector, Eliam Leuitam Grammaticum, & criticæ Masorethicæ peritissimũ, quum animaduertisset Masorethas retulisse hæc duo loca in catalogum lectionum quæ duplici significatione leguntur, eos damnare maluisse, quàm approbare. Illius verba referemus: habentur in postrema parte libri Hammasoreth quam inscribit, שברי

לוחות *fractiones tabularum* ad תל abbre-
uiationem , רת תרי לישני וכן בםס׳ גדולה
אלפאביתא מן תרי ןתרין ותרויהון בתרי לישני
במו אורה אתכם ביד אל׳ החצים צדה אורה
וכן כלם על סדר הא״ב והם בנגד מאה זוגות
כלם בתרי לישני׳ והאמת יש בהן הרבה
נראה שאין הפרש ביניהן׳ והנה אזכיר
החמור שבכולן והוא כָּאֲרִי כן ישבר כָּאֲרִי
ידי ורגלי ומי יתן ואבין ההפרש שביניהן׃
Notaricum est quod significat, duas significationes. Sic est in Masora magna Alphabetum ex binis dictionibus quæ in duabus significationibus deprehenduntur, vt, אורה *, Iob* 27.11. *&* 1. *Sam.* 20 20. *Et sic cætera iuxta ordinem Alphabeticum. Ista sunt ex opposito, & in vicem centum parium quæ duabus sumũtur significationibus. Profectò sunt multa inter quæ non videtur esse discrimen. Ecce autem commemorabo turbidum lutum quod est in his omnibus. Illud autem est* כארי *Psal.* 22. *esse diuersæ significationis à* כארי *Isaiæ* 38. *Quis mihi dabit vt intelligam discrimen quod est inter ista.* Pupugit vehemẽter ipsius animũ ista dictionis in diuersis sensibus comparatio. Punctat regulariter dictionem כָּאֲרִי, Nescio an sit σφάλμα μνημονευτικόν.

Tertium argumentum desumitur ab

autoritate R. Iacob Ben Chijam Maſoræ inſtauratoris, qui teſtatur ſe in nonnullis libris Bibliorum correctis vidiſſe ſcriptum in textu כארו, *foderunt*, & in margine adnotatum, legendum eſſe כארי, *tanquam Leo.* Sic ille in Maſora magna ſerie literæ Aleph vbi de ארי adnotat ad dictionem,
כארי· בקצת ספרים מדוייקים מצאתי כתוב כארו וקרי כארי אמנם בקשתי באינון מלין דכתיב ו׳ בסוף תיבו וקרי׳ י׳ ולא מצאתיו נמנה בחשבונם ׃וגם בחלוף המקרא דיש בין מדינחאי ומערבאי ולא נמנה שם ע״כ·
In quibuſdam libris correctis inueni ſcriptum כארו, *& ad marginem adnotatum legendum eſſe* כארי. *Certè perquiſiui & recenſui catalogum earum dictionum quæ ſcribuntur in fine per vau, & leguntur per jod: ſed non inueni dictionem iſtam in earum numero ſupputatam. In ea quoque varietate ſcripturæ quæ viget inter Orientales Iudæos, & Occidentales non computatur.*

Quod notat varietatem iſtam lectionis ſe non deprehendiſſe in catalogo Maſorethico earum dictionum quæ ſcribuntur cum vau, & leguntur cum jod argumenti noſtri vim nullo modo minuit. Multa enim eiuſmodi Maſorethas fugerunt;

multa quæ codices varios conferendo animaduerterant, catalogis suis inserere omiserunt; multa quæ vni catalogo inseruerant, alteri aut inserere noluerunt, aut id facere obliti sunt; multa denique post ipsorum opus in textum irrepserunt. Verbi gratia, ne exempla alibi quàm his ipsis locis quæramus, adnotat ille ipse Masoræ instaurator Isaiæ 38. v. 14. in margine ad dictionem סוס, בקצת ספרי׳ כתי׳ כסים וקרי כסוס˙ אמנם לא מצאתיו שנמנה עם אותות הכתובי׳ יוד באמצע תיבות וקרי ויו˙ *In quibusdam libris scribitur in textu*, כסים, *& ad marginem adnotatur* כסוס. *Verùm non inueni illud computatum inter literas quæ scribuntur cum jod in medio dictionum, & leguntur cum vau.* Antiquissima lectionis varietas; sic enim scribit S. Hieronymus in hunc locum. *Pro pullo hirundinis siue hirundine, vt 70 transtulerunt in Hebraico scriptum est,* סוס עגור, *quod interpretatus est Aquila, equus Agor: Theodotio* סיס עגור; *media enim vocalis litera, si ponatur inter duas* ס, *legitur* סוס, *sus, & appellatur equus; si* י *legitur* סיס, *sis, & hirundo dicitur. Symmachus autem ita transtulit, sicut hirundo inclusa, sic cantabo, &c.* Vides 70. Theodotionem &

Symmachum legiſſe כוס, Aquilam & S. Hieronymum סוס.

Innumera eiuſmodi obſeruauimus, potiſſimùm conferentes quæ de his rebus refert autor tractatus Scribarum cum animaduerſionibus Maſorethicis, & vtraſque cum iis quæ in Bibliis Venetis cum nota קרי, ſeu variæ lectionis adnotantur. Exempli cauſa, vt in eodem varietatis genere maneamus. Octodecim loca notant Maſorethæ in quibus vau in medio ſcribitur & legitur jod ſuper ea quæ refert autor iſtius tractatus. Refert præterea idem autor ſeptem aut octo eiuſmodi loca quæ non commemorant Maſorethæ, nec ampliùs in Iudæorum libris comparent. Inſuper Maſorethicis eiuſdem generis varietatibus Biblia Veneta quinquaginta duas ſuperaddunt. De cæteris varietatibus par eſt ratio. Imò plurima ſunt variarum lectionum genera à Maſorethicis ſigillatim enumerata, quorum in tractatu Scribarum nulla mentio. Sed de his alibi.

Chaldæus Interpres vtramque lectionem forſan coniunxit cum vertit, מבאישין אקפוני נכתין היך כאריא אידי ורגלי. *Impij circũdederunt me, mordentes vt leones manus meas & pedes meos.* Forſan etiam legens

tantùm כָּאֲרִי, more suo paraphrasticè explicuit leonini furoris effectum.

His testibus addendus est S. Hieronymus in interpretatione Psalterij quod ex textu Hebræo sui temporis exactè in Latinum sermonem transtulit. Vertit enim, foderunt, quod nunquam fecisset in illa interpretatione quam relictis prorsus 70 Interpretibus ad Hebræi textus libellam condidit, si aliquid aliud quam, כרו, legisset. Addendus denique Ioannes Isacus ex Iudæo Christianus, qui lib. 2. aduersus Lindanum testatur apud auum suum Psalterium Hebraicum se vidisse & legisse in cuius textu scriptum erat, כארו, & in margine כארי. Ex dictis igitur manifestum est locum istum, licet vt in textu Hebræo nunc legitur, nihil prorsus conducat ad genus mortis Messiæ inferendæ demonstrandum, coniunctum tamen Masorethicis obseruationibus, vim suam recuperare, quod nobis erat probandum.

Cap. V.

Locus cap. 9. Isaiæ de Meßiæ diuinitate Masorethærum peruersa punctatione corruptus ex Talmude & aliquot Rabbinis reponitur, & argumenti Christiani vires reficiuntur.

TErtius locus ex Isaiæ cap. 9. v. 6. depromitur. Testimonium est diuinitatis Messiæ fulgentissimum. Illud sic effert S. Hieronymus, *Paruulus natus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Vulgatus 70 Interpretũ textus vt à S. Hieronymo legebatur, omnia illa magnifica epitheta resecabat pręter vnum quod his verbis exprimebatur, *Vocabitur nomen eius magni consilij Angelus.* Existimat S. Hieronymus Interpretes tantorum epithetorum maiestate attonitos ea de puero dicere non ausos, ne Ptolemæo regi ethnico offendiculum aliquod crearent. Hunc locum vt à S. Hieronymo legitur referunt S. Cyprianus l. 2. aduersus Iudæos, Ambros. l. 3. in Lucam c. 3. Eusebius de Demõst. Euãg. l. 7. & 9. Basilius, & Procopius in Esaiam. Probabile tamen est hæc epitheta ab Hæ-

reticis Christi diuinitatem negantibus, aut etiam à Iudæis erasa fuisse. Illa enim refert S. Ignatius in Epist. ad Antiochenos qui Interpretes Græcos Aquilam, &c. tempore præcessit, S. Irenæus lib. 4. c. 66. qui Theodotioni æqualis fuit. Ille certè è 70. editione testimonia sua hauriebat, non è turbidis coætaneorum Apostatarum translationibus. Deinde disertè testatur Eusebius lib. 7. eiusdem demonstrationis nonnullos codices ista epitheta exhibere, quę ille ex iisdem codicibus profert. Editio quoque Veneta, & Argentoratensis, vt cæteras omittam, illa epitheta eodem contextu cum præcedente coniungunt.

Vtvt sit, scopo nostro satis est Vulgatam editionem inuictissimum diuinitatis Christi argumentum nobis suppeditare. Hebræus textus, vt nunc legitur, illud nobis è manibus excutit. Ita enim dictionem vnam punctarunt Masorethæ vt ea omnia epitheta vltimo excepto ad Deum patrem referantur. Cum enim punctare debuissent, יִקָּרֵא Iikare, *vocabitur*, punctarunt יִקְרָא jikra, *vocabit*, hoc sensu, *& vocabit nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, principem pacis*, monentque diligenter RR. Salomon, Kimhi, &

Aben Melek hæc epitheta esse ad Deum referenda; postremum verò ad puerum de quo verba facit Propheta, quem existimant esse Ezechiam filium Achas. Eadem videtur fuisse Chaldæi Interpretis sententia: Ita enim vertit, ואתקרי שמיה מן קדם מפליא עצה אלהא גברא קיים לעלמיא משיחא דשלמא יסגי עלנא ביומוהי, *Et vocabitur nomen eius ab Admirabili, Consiliario, Deo, forti, subsistente in sæcula, Meßias, qui pacem multiplicabit super nos in diebus suis.* Est enim מן קדם, præpositio, quæ æquipollet Latinis præpositionibus, a, ab, ex, itaque regit sequentia Epitheta aut saltem primum: Nec vnquam absolutè ponitur. Dicitur quidem sæpe מן קדמי, à facie mea, à me; sed nunquam מן קדם, nisi sequatur aliquod nomen quod ab ea regatur, non secus ac prępositiones illę Latinæ.

Ista tamen maligna punctatione non perit nobis hoc argumentum. Vt enim omittam Aquilam & Symmachum qui verterunt, *vocabitur*, & hæc epitheta ad puerum de quo loquitur Propheta retulerunt, vt ex eorum interpretationibus quas enarrant Eusebius l. 7. de demonstratione Euangelica, & Ambrosius l. 3. in c. 3. Lucæ; vt omittam 70 Interpretes sanctum-

que Hieronymum, præsto nobis sunt Talmudici, qui hoc testimonium citantes verbum, de quo nobis est sermo, passiuè intelligunt, omniaque illa epitheta ad puerum, de quo propheta loquitur, referunt. Sic illi disserunt cap. vltimo, tractatus Sanhedrin fol. 94. p. 1. ad finem, מאי משמניו רזון
אמר הקב״ה יבא חזקיהו שיש לו שמנה שמות
ויפרע מסנחריב שיש לו שמונה שמות חזקיה
דכת׳ כי ילד ילד לנו בן ניתן לנו ותהי המשרה
על שכמו ויקרא שמו פלא יועץ אל גבור
אביעד שר שלום והאיכה חזקיה שחזקו יה
דבר אחר חזקיה שחיזק את ישראל לאביהם
שבשמים סנחריב דכתיב ביה תגלת פלאזר
פלמנא שלמנא פולסרגין סרגין אסנפר רבא
ויקירא והאיכה סנחריב שסיחתו ריב דבר
אחר שסח וניהר דברים כלפי מעלה·
Quid est in pinguibus eius macies? Isa. 10.16. *Dixit Deus benedictus, Venit Ezechias cui sunt octo nomina, & vindicauit se de Sennacheribo, cui quoque erant octo nomina. Ezechiæ, sicut scriptum est, Quoniam puer nobis natus est, filius datus est nobis; eritque principatus eius super humerum eius, & vocabitur nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, pater, æternitas, princeps, pax, & insu-*

per Ezechias quia corroborauit eum Deus. Aliter, Ezechias quia conſeruauit, & corroborauit Iſraelem Patri ſuo qui eſt in cœlis, Sennacheribo, quia ſcriptum eſt de eo, Tiglath-Phalazar, Phalmana, Salmana, Phulſarghin, Sarghin, Aſnephar, Raba & Iekira, & inſuper Sennacherib, quia extirpauit eum contentio: aliter, quia oblocutus eſt & infremuit verbis contra maieſtatem, &c. Vides Talmudiſtas, hoc verbum paſſiuè vt S. Hieronymus aliique interpretes, intellexiſſe, nec aliter eorum verba ſumi poſſe, אבי עד, quoque & שר שלום, vt numerum ſuum ineant abſolutè ſumere non conſtructè, vt Maſorethæ, & Interpretes Græci & Latini.

R. Abarbinel vtramque interpretationem amplectitur. Fatetur omnes Interpretes Deo omnia illa elogia vno excepto tribuere, & verbum יִקְרָא actiuè legere: fretus tamen Talmudiſtarum autoritate ſcribit paſſiuè intelligi poſſe, & vnicuique quo libuerit modo interpretari poteſtatem eſſe. Verùm cum Iudæorum more hæc epitheta in Ezechiam confert, quanta ſit vis argumenti Chriſtiani & veritatis manifeſtè colligitur. Hæc enim epitheta nulla ratione, nullo colore filio Achas tri-

bui possunt, sed tantùm illi qui verus est Deus. Ergo puer ille, de quo loquitur Propheta, verus est Deus. Quàm absurdè hæc emolliat, & peruertat Rabbinus ille, vt Ezechiæ conueniant sola quorundam enarratione, luce meridiana clariùs fulgebit. Dicit enim Ezechiam vocari, אל, Deus, quia ipsius nomen Ezechias ex יה, vno de nominib. Dei cōponitur, scribitur enim חזקיהו. Quasi verò, Elias, Ieremias, Sedecias, Godolias, Nathanias, Sophonias, &c. Vnusquisque eorum dici posset absolutè אל, Deus fortis? Istud Epithetum אבי עד, pater æternitatis crudeliter ipsum torquet. Ait separari posse, vel coniungi, & vtroque modo עד, prædam & spolium significare, vocarique Ezechiam Patrem, & prædam, vel Patrem prædæ ob Sennacheribi spolia deportata. Quàm egregiè hæc vel hoc epithetum tam magnificis elogiis miscetur? Nec minùs ægrè fert verba quæ sequuntur, *pacis non erit finis, &c. à modo & vsque in sempiternum,* per, sæculum, intelligit Ezechiæ vitam quæ inquit tota pacifica fuit. Vtrumque falsissimum. In sæculum enim de vita hominis non dicitur. Deinde Ezechiæ regnum variis & ingentibus bellis est quas-

ſatum, vt videre eſt. 4. Reg. c. 18. multoque magis tempus illud quo vixit antequam Rex inaugurraretur. Ait præterea ſæculum de iubileo dici, & vixiſſe annos 65. Omnia falſa, nihilque ad rem. In ſæculum de iubileo non dicitur, & ſi diceretur de tam breui ſpatio, hîc locum habere non poſſet hæc æternitatis ſignificatio, quæ tam multis nunquam finituri temporis circumſtantiis deſcribitur. Annos autem vixit Ezechias tantùm 54. regnauit viginti nouem.

Hæc ex Abarbinele qui Iudæorum primus poſt Talmudiſtas hoc verbum paſſiuè intellexit, vt cognoſcas Lector quàm validũ ex eo loco Chriſtianæ fidei propugnaculum conſtruatur. Autor Commentarij ĩn legem qui inſcribitur Tſeror hammor, licet Talmudiſtarum non faciat mentionem, ſponte ſua tamen iſtud verbũ paſſiuè quoque interpretatur, omniaque hæc epitheta in vltimam legis ſectionem in Ezechiã torquet, ſed inſulſiſſimè. Maſorethæ argumentum Iudæis tam moleſtum peruerſa vnius apiculi mutatione totum concuſſerunt, & propè nullum reddiderunt. Verùm licet ex textu Hebræo vt nunc punctis ſubeſt, nullum commodum ar-

gumentum confici possit, iuncta tamen Talmudis autoritate adeò validum instauratur, vt Iudæorum contradicentium, & hæc ad Ezechiam referentium ora facillimè obturentur, & pertinacia contundatur.

Cap. VI.

Nonnulla axiomata docent Talmudistæ, Rabbinique antiqui & recentiores, quibus colligitur Iudaicos sacri textus Censores eam lectionem & punctationem elegisse quæ Christianæ fidei officeret: atque etiam non esse improbabile ei manus sacrilegas nonnunquam attulisse.

EX appendice nostra duo corollaria Lectori colligere promptum est, quæ viri docti literarum Hebraicarum studiosissimi ante nos magno consensu docuerunt. Prius, Masorethas nonnunquam eam punctationem elegisse quæ Christianæ fidei magis officeret. Posterius, idem in variarum Lectionum electione præstitisse, hoc est, è variis Lectionibus quas iis exhibebant varij codices, eas nonnunquam prætulisse, & textui, marginique inscripsisse quæ minùs Christianis fauerent.

Vtrumque corollarium pluribus exemplis demonſtrari poſſet. Sed nolim iam decurſo ſpatiolo noſtro à calce ad carceres reuocari. Rei vnius quæ ſuperiora plurimùm illuſtrat Lectorem monebo, cuius explicationem legiſſe eum ni fallor, non pœnitebit.

Porchetus victoriæ contra Iudæos parte prima cap. 15. dictum ſeu axioma Talmudicum his verbis refert, *Notandum quod hoc quod Sofrim, id eſt, Scribæ fecerunt, perſuadent & ſuis diſcipulis faciendum in libro Ieuamoth in fine Pereq Haerel. Dixit R. Iochanan ex nomine R. Simeon, Bonum eſt vt euellas literam vnam de lege, & ſanctificetur nomen cæli in publico.* Nec plura Porchetus. Galatinus idem refert teſtimonium l. 1. c. 8. iiſdem verbis, *Quod non ſolum ipſi Sophrim, id eſt, Scribæ faciebant, ſed ſuos quoque diſcipulos facere docebant. Vt enim habetur in libro* יבמות, *id eſt, fratriarum in calce capituli* הערל, *ſic dixit R. Iohanan ex nomine R. Simeonis, Bonum eſt vt auferas literam vnam de lege, & ſanctificetur nomen cæli in publico.* Cæteri qui hoc teſtimonium vſurparunt, illud à Galatino mutuati ſunt: Quapropter ab iis fruſtra plura requires. Quum tantùm hoc apud Galatinum alioſque

que legerem, parum mihi videbatur probabile hoc in Talmude haberi; aut si quid aliquo modo simile legeretur, longè alio sensu dici, qui facilè ex antecedentibus & consequentibus deprehenderetur. Sunt enim eiusmodi, nonnulla ex Rabbinis & Talmude referri solita. Verùm quum hoc apud Porchetum legi qui à Raimundo Martino, viro in Iudæorum libris supra omnium hominum fidem exercitatissimo omnia sua exscripsit, laudato tamen initio libri Raimundi nomine, non ingratissimè vt Galatinus, qui Porcheti nomine prætereito librum eius mutato ordine & Latinitate interpolata pro suo venditauit, euoluendi Talmudis incessit me cupido, vt quibus verbis, quave occasione axioma à sensu communi tam abhorrens Rabbini illi euulgarent, mihi esset perspectum. Illud reperi non in fine capitis Haerel, sed longissimè à fine: quum enim caput quatuordecim magna folia contineat, initio decimi axioma deprehendi, hoc est tractatus Iebamoth cap. 8. quod incipit הערל, Haerel, *incircumcisus.* fol. 79. p. 1.

Verba Talmudica paulò fusiùs referemus: Ea enim continent quæ videntur sententiæ eorum qui Iudæos malignitatis ac-

cuſant, magnam probabilitatem concilia-re. Agunt eo loco Doctores Talmudici de filiis Saul quos ſuſpendendos Dauid conceſſit Gabaonitis, eò quod Saul Gabaonitas afflixiſſet contra fidem olim iis à Ioſua datam, cum ſe ſuaque ei dediderunt. Traditioni quam fecit Dauid Saulitarum & eorum ſupplicio duo opponunt, & axiomate freti quo de verba facimus, ea diſſoluunt. והא כתיב לא יומתו אבות על בנים וגו׳ אמר ר׳ חייא בר אבא אמר ר׳ יוחנן מוטב שתעקר אות אחת מן התורה ואל תחלל שם שמים בפרהסיא ותחק רצפה בת איה את השק ותטהו לה אל הצור מתחלת קציר עד ניתך מים עליהם מן השמים ולא נתנה עוף השמים לנוח עליהם יומם וחית השדה לילה והא כתיב לא תלין נבלתו על העץ אמר ר׳ יוחנן משום ר׳ שמעון בן יהוצדק מוטב שתעקר אות אחת מן התרה ויתקדש שם שמים בפרהסיא. *En ſcriptum eſt non morientur Patres cum filijs, &c. Dixit R. Chaja filius Aba, Dixit R. Iochanan, Bonum eſt vt euellatur litera vna de lege vt non prophanetur nomen cœlorum in publico. Accepit autem Ritſpa filia Aja ſaccum, & extendit ſibi ſuper petram ab initio meſsis donec ſtillarent*

aquæ super eos è cælo, Et non permisit aues cælorum quiescere super eos de die, nec bestias agri de nocte. 2. Sam. 21. 10. *En præterea scriptum est, Non pernoctabit cadauer super lignum. Dixit R. Iochanan nomine R. Simeonis filij Iehosedek, Bonum est vt euellatur litera vna de lege, vt sanctificetur nomen cælorum publicè.* Pluribus non agunt de hac materia.

Duo legis præcepta Talmudistæ referunt quæ Dauid videtur transgressus; Ne videlicet filij cum Patribus puniantur; Neve suspensi cadauer in ligno pernoctet. His præceptis contraria perpetrauit Dauid, aut saltem perpetrari permisit, vt manifestè ex locis citatis demonstratur. Quid ad hæc Talmudistæ? Argumento à maiori ad minus Dauidem hoc iure fecisse probant. Licet, vt nomen Dei sanctificetur literam è lege auellere: Ergo multo magis licitum fuit Dauidi ne nomen Dei prophaneretur à gentibus & Proselytis Saulis filios ignominiosæ morti propter Patris crimen exponere, eosque in ligno suspensos diu noctuque ostentare. Inquies, qua ratione nomen Dei prophanatum fuisset, si Saülitæ Gabaonitis traditi non fuissent? Licet nullam huius rei rationem probabi-

lem reddere poſſemus, ſatis nobis eſſet hac in cauſa Talmudiſtas id pronuntiaſſe, cum quid faciant, non autem quàm iuſta ex cauſa id faciant, aut decernant, inquiramus. Quis enim neſcit eiuſmodi homines permulta nullis de cauſis aut admodùm ridiculis agere, aut decernere? Verùm cauſa in promptu eſt. Iureiurando Gabaonitis promiſerant Ioſue & Iſraëlitarum principes, vitæ & bonorum incolumitatem. At contra fidem illam Gabaonitis datam eorum multos occiderat Saül, cæteroſque variis afflictationibus attriuerat. 2. Sam. 21. Niſi igitur vindicta ſubſecuta fuiſſet, nomen Dei prophanatum fuiſſet, reſignato & violato iureiurando in nomine Dei præſtito. Sed Saül criminis autor è viuis erat exemptus: Ad illius igitur poſteros ſpectabat vindicta.

Huius rei rationem paulò aliter explicat R. Salomon gloſſa in hunc locum, ואל ותחלל שם שמי׳ שיהיו האומו״ אימ׳ אין אומה זו ראוי׳ לירבק בה שהרי פשטו ידיהם בגרי׳ ליטול מזונותיהם ולא עשו נקמה בהן. *Ne prophanetur nomen cælorum, Quia populi dixiſſent non erat iusjurandum hoc legitimum & obſeruatione dignum: Ecce enim extenderunt manus ſuas in Proſelytos ad au-*

ferendum eis victui necessaria, & de iis vindictam non sumpserunt. Videtur rationem prophanationis ad ipsum Iosuæ iusjurandum referre; Dauidem scilicet nisi Gabaonitis permisisset de Saülitis supplicium sumere, visurum fuisse Iosuæ iusjurandum improbasse, quod tamen Deus ratum habuerat. Quidquid sit, vt probent Talmudistæ Dauidi licuisse contra legis præcepta facere, hoc apud eos vsitatum axioma vsurpant, *Bonum est literam vnam è lege euellere, vt nomen Dei publicè sanctificetur.*

Idem fere quod Talmudistæ docent antiqui recentioresque Iudæi qui Scribarum correctiones explicant. Tradunt enim omnes octodecim loca (nescio vnde Porchetus & post eum Galatinus quindecim tantùm scribunt; ego varios autores conferendo vnum & viginti deprehendo) à Scribis correcta fuisse vt diuinæ maiestatis honori consulerent, eo quod de Deo non satis honorificè loquerentur, atque ideo vna litera mutata factam esse à Scribis personarum enallagen. V. g. cum scriptum esset Psal. 106. v. 20. כבודי, gloria mea, correxerunt כבודם, gloria eorum. Numer. 11. 15. ואל אראה ברעתי, Non vi-

deam afflictionem meam, Scribæ correxerunt, ברעתם, afflictionem eorum. R R. Ioseph Albo, & Azarias ineptissimam suorum autorum interpretationem commentantur. Aiunt Scribas nihil in textu mutasse: Quando autem Rabbini sic locuti sunt, dicere tantùm voluisse, Mosen, aliosque Prophetas Scribarum more, qui cum multa habeant in mente quibus animi sensa exprimant, illum loquendi modum Deo inspirante elegisse, qui personis, de quibus verba faciebant, erat conuenientior. Sic ex eorum sententia mutatio illa facta est in mẽte Prophetarum antequam manum textui scribendo applicarent.

Verumenimuerò Rabbinorum plurimi adeo manifestè & perspicuè de hac mutatione loquuntur velut diutissimè post Prophetas facta, vt nullo commento in alium sensum torqueri possint. Ita liber antiquus Tanchuma, Salomon Iarki nonnullis locis Commentariorum in Scripturam, R. Nathan in Aruk, Moses Bar Nachman, Elias Orientalis, & Aben Melek, necnon ipse Kimhi, & Karaita noster. Azarias Tanchumæ & Salomonis autoritatem sibi opponit, sed ea ita obruitur, vt dicat ab aliquo ad marginem quæ de illa correctione

habent, adnotata fuisse, & postmodum in textum irrepsisse. R. Iacob Ben Chijam vult istas correctiones Mosis esse traditionem è monte Sinai, cum tamen maxima pars earum de textu prædicetur, qui post Mosen diutissimè scriptus est. Verùm hoc de Iudæorum more qui omnia deliria sua ad Mosen referunt in monte Sinai.

Obijciunt illi tres, si Scribę hæc loca corrupissent, seipsos non deferrent: Quis enim iactat se quod librum corruperit? Hæc obiectio est alicuius momenti aduersùs eos qui malignè Iudæos asserunt libros suos corrupisse. At contra illos qui corruptelas istas casibus fortuitis attribuunt, nihil prorsus probat, Non enim libros corrupisse dicuntur eiusmodi, sed fortè fortuna corruptos pristino nitori restituisse; quod omnium hominum laudibus celebratur, tantùm abest vt vituperium mereatur. Nec etiam iis officeret qui sincerum textum ob pium finem immutarent, quod à maxima Iudæorum parte Scribæ illi fecisse dicuntur. Denique cogita Lector, an quid absurdius Albonis & Azariæ solutione fingi possit. Moses & Prophetæ illis in locis ipsissimi libros suos correxerunt non alij: Imo antequam dictiones illas in charta

pingerent, emendarunt. Vt quid igitur Scribis tam constanter tribuitur ista correctio? Quis, eo quod librum scripturus meditatur qua periphrasi & verborum decore hoc & hoc enuntiet, idque tandem apud se definit, dixit vnquam Scribas illius textum verbaque correxisse? Hæc nunc paucis, aliàs plura: longioris est enim operæ correctiones illas enarrare, & Rabbinorum, quorum mentionem fecimus, verba, sententiasque referre & explicare.

Eandem mutationem bono zelo sibi licitam esse saltem in sacri textus translatione credunt omnes Iudæi: Omnes enim tredecim illas mutationes probant & laudant quas 70 Interpretes in translatione sua fecisse commentantur. Iudæorum plurimorum hac de re testimonia si curiosus es, lege in Exercitationibus nostris Biblicis cap. 8. Exercitat.

Huic axiomati finitimum est id quod Talmudistæ decernunt de iis quæ in Scriptura existimant turpia pronuntiatu, sarcasmata, & iocularia, aut in idolorum vel impiorū laudem dicta. Ista enim non modo legere prohibent, verùm etiam alia verba, alias phrases in eorum locū substituere iubent. Sic illi suos docent in tractatu Me-

ghilla cap. 3. fol. 25. in fine, תנו רבנן כל המקראות הכתובין בתורה לגנאי קורין אותן לשבח כגון ישגלנה ישכבנה בעפלים בטחורים חריונים דביונים לאכול את חוריהם ולשתות את מימי שיניהם לאכול את צואתם ולשתות את מימי רגליהם למחראות למוצאות רבי יהושע בן קרחה אומר למחראות בשמן מפני שהוא גנאי לעבודה זרה אמר ר׳ נחמן כל ליצנותא אסירה בר מליצנותא דעבודה זרה דשריא דכתיב כרע בל קרס נבו וכתיב כרעו קרסו יחדו ולא יכלו מלט משא וגו׳ ר׳ ינאי אמ׳ מהכי לעגלות בית און יגורו שכן שמרון כי אבל עליו עמו וכומריו עליו יגילו על כבודו כי גלה ממנו אל תקרי כבודו אלא כבידו אמר רב הונא בר מנוח משמיה דרב אחא בריה דרב איקא שרי ליה לבר ישראל למימר ליה לגוי שקליה לעבודה זרה ואנחיה בשין תיו שלו אמר רב אשי האי מאן דסנאי שמעניה שרי ליה לבזוייה בגימל ושין האי מאן דשפיר שומעיה שרי לשבוחיה ומאן דשבחיה ינוחו לו ברכות על ראשו.
Tradiderunt Rabbini, omnes textus scripti in lege in turpem modum leguntur in honestum

& laudabilem, veluti, ישגלנה *, legitur,* ישכבנה *, dormiet cum ea :* בעפלים *, legitur,* בטחורים *, hæmorrhoides,* חריונים *, legitur,* דביונים *, fluxus columbarum :* לאכול את חוריהם *: legitur,* לאכול את צואתם *, ad comedendum egesta sua :* ולשתות את מימי שיניהם *, legitur,* ולשתות את מימי רגליהם *, & ad bibendum aquas pedum suorum:* למחראות *, legitur,* למוצאות *, Egestionis loca. R. Iosua filius Karacha dixit,* למחראות בשמן *, sic legitur, quod est idolo sarcasma factum. Dixit R. Nachman, omnis iocus & sarcasma prohibitum est excepto sarcasmate quod infertur idolo, quod permissum est, vt scriptum est, Confractus est Bel, contritus est Nebo, & iterum, Confracta sunt & contrita simul, & non potuerunt saluare portantem, &c. Dixit R. Ianaus. Inde est, Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ, quia luxit super eum populus eius, & ædituí eius super eum exultauerunt in gloria eius, quia migrauit ab eo. Ne legas,* כבודו *, gloriam eius, sed,* כבידו *, onus graue eius. Dixit Rab Hona filius Manoach nomine R. Acha filij R. Aika, licet Israelitæ dicere genti quod vilis sit, & reputetur vt idolum, & eam vocare per Schin & Tau* (hoc est de ea dicere quod dicitur Isaiæ c. 20. 4. חפושי שת, quod sint nates disco-

operti.) *Dixit R. Ase, Quid verò de ijs qui malè audiunt? licet eos contemnere, & opprobrio afficere per Ghimel & Schin* (id est per גיפא שטייא, vocare eum adulterum insanum.) *Quid verò de illo cuius est honesta fama? licet eum laudare. Cuius verò est laudabilis fama, capiti eius imponuntur benedictiones.*

Cum igitur in libris sacris occurrant plurima eiusmodi quæ ex eorum præcepto aliter scribantur, aliter legantur, quæ de idolis & gentibus laudabiliter efferantur, quid facilius quàm longa consuetudine errores mendasque in eiusmodi textus illabi? Quanta mutationum seges hinc oritur, cum scilicet lapsu temporis substituta verba in originariorum vicem Scribarum negligentiâ subrepunt, aut etiam longa consuetudine verbis substitutis, & Scribæ & Lectores assuefiunt? Deinde Epithetorum istorum inuerecundorum, aut honorificè de idolis dictorum quis finis, cum rerum quæ opinione hominum constant, modus tam sit varius & incertus.

Dixi verborum istorum & phrasium inuerecundiam hominum opinione constare. Planè enim nego vllam verbis phrasi-

busque istis obscœnitatem inesse, aut inuerecundiam. Id imaginati sunt Talmudistæ, & qui eos aliquot sæculis præcesserunt Rabbini, siue linguæ ignorantiâ seducti, siue quod ex vsu aut affinitate linguæ Chaldaicæ & Talmudicæ quæ illis erat vernacula, verba phrasesque istæ, vt in linguis vernaculis nonnunquam fieri solet, in obscœnam significationem degenerauerint. Quapropter non possum non ridere id quod scribit Elias Leuita de iis dictionibus agens quæ obscœnitatis vitandæ causa non leguntur, serm. 1. secundarum tabul. libri Masoreth, והכלל העולה כל מה שהוא בלשון גנאי שנו אותו לשבח כדי שלא יוציא האדם דבר מגונה מפיו. *In summa colligitur quidquid inuerecundo sermone dicitur* (in Scriptura sacra) *conuerti in verecundum & laudabilem, vt non proferat homo verbum inhonestum de ore suo.* O pudibundos homines, & virgineo suffusos ora rubore, qui ea pronuntiare metuunt, restitant, refugiunt, quæ scripsit Spiritus sanctus, prædicauerunt Prophetæ. Quasi verò protulerint Prophetæ indigna ore pudico, atque à Rabbinis meritò castiganda! Alius Rabbinus propter istam scripturæ inuerecundæ castigationem opinatur lin-

guam Hebræam meritò dici sanctam, ויש מי שאמר שבשביל כך נקרא לשון הקדש לפי שבלה קדש ואין בה מגנה שהרי לא הונח בה שם מיוחד לערות האיש או האישה גם לא לשתן ולצואה אלא הכל בכנוי *Est qui dicat quod ideo vocatur lingua sanctitatis quod tota sancta sit, & non sit in ea quid turpe dictu: Quia in ea non est relictum nomen proprium pudendo hominis vel fœminæ, ne quidem mingendi, aut aluum exonerandi, sed omnia paraphrasticè efferantur.* Rabbini igitur illi egregia hac dictionum à Prophetis scriptarum mutatione, & cognominatione linguam Hebraicam sanctificauerunt. Ergo Moses & Prophetæ dictiones illas pronuntiatu inhonestas scribendo illam prophanauerant, nisique Talmudici doctores exorti fuissent, aliterque quàm Prophetæ scripserunt, legere docuissent, obscœnis istis verbis in æternum sorduisset.

De dictionibus quæ à Iudæis obscœnæ putantur, plura quàm propositum nostrum ferat, iam dicta sunt. Ex iis quæ toto hoc capite explicauimus, hæc duo credimus non ineuidenter colligi, Masorethas nonnunquam in librorum sacrorum re-

censitione eam punctationem aut codicum lectionem elegisse quę Christianæ fidei magis officeret : Præterea ipsis Iudæis testibus non esse omnino improbabile quod virorum doctorum tantus numerus asserit, Iudæos odio in Christianos & perfidiæ suæ zelo transuersum actos manus sacrilegas in sacros suos codices nonnunquam intulisse.


IOANNIS MORINI
BLESENSIS

Congregationis Oratorij Domini
Noſtri Iesv Christi
Preſbyteri

ANIMADVERSIONES

In Cenſuram Exercitationum Eccleſia-ſticarum ad Pentateuchum Samaritanum.

M. DC. XXXIX.



ANIMADVERSIONVM In Censuram Exercitationum Ecclesiasticarum ad Pentateuchum Samaritanum pars prior.

IN QVA

Censoris calumniæ absterguntur.

LECTORI.



Operæpretium esse duxi, Christiane Lector, dissertatiunculam hanc seu potius admonitionem de quodam libello abhinc annos fere septem in Exercitationes meas Samaritanas virulenter scripto velut appendiculam præcedentibus adtexere. Libellum nihili meritò feci, nec vlla responsione aut animaduersione dignatus sum. Totus enim quantus est nihil aliud est quàm variarum calumniarum textura Rhetoricis schematis vtcunque ornata, sed conuitiis & theatricis nugis vbique perfusa. Si certamen aliquod ineundum est, non calum-

niæ cum calumniis, aut conuitia cum conuitiis, ſed res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione certare debent. At in illo libello nec rebus, nec cauſæ, nec rationi vſquam locus eſt : calumniis totus nititur, & conuitiis turget. Verùm cum eiuſmodi rebus nec diſſidium volumus eſſe nobis, nec commercium. Quos iſta delectant, aut ridemus, aut miſeramur. Cætera per nos illis impunè cedunt. Præterea non videbatur nobis ſatis humanum hominem ira tum feruentem, lauroque ardente clamoſiorem verbis coercere, ne creſcente animi impotentia cum iræ mederemur, furorem concitaremus. Reminiſcebamur enim comicæ iſtius ſententiæ,

Bacchæ bacchanti ſi velis aduerſarier
Ex inſana inſaniorem facies.

Nunc autem nonnihil reformidamus ne ſuſpicetur aliquis eas calumnias vt veras nos admittere quas libellus ille nobis tam inſolenter inurit, ſi tot refutatis eiuſdem generis calumniis iſtas tamẽ non minùs graues & iniquè confictas ſtatua taciturnius prætereamus. Huic rationi accedit alia, quod ſcilicet ad refellendas & retundendas calumnias illas licet multiplices, omniaque hinc eruta argumenta li-

bello non opus eſt, ſed paucis paginulis quæ commodè huic elencho appendentur, incommodè ſeparatim ederentur. Reſpondebimus igitur, ſed quàm breuiſſimè, noſque infra legitimæ defenſionis terminos continebimus

Nam mihi de nullo fama rubore placet.

Si quid tamen exiſtimet in ſe dictum inclementius, quod nobis excidiſſe non iudicamus ----- *ſic exiſtimet*

Reſponſum non dictum eſſe, quia læſit prior

Calumniæ ſeptem ſunt diuerſæ, quarum prima velut virus acerbiſſimum per totum librum ſpargitur, & libro cum ſecunda quæ planè iocularis eſt & comica, occaſionem dediſſe videtur. Hæc & alia eiuſmodi non infeſtiua, vniuſcuiuſque calumniæ enarratio quæ ſequitur, edocebit.

Cap. I.

Primæ calumniæ abſterſio.

PRima calumnia eſt, Nos in Exercitationibus noſtris aſſerere Iudæos de induſtria in odium religionis Chriſtianæ ſacros ſuos libros corrupiſſe. Scimus hanc ſententiam grauiſſimorum autorum eſſe, imò omnium fere Patrum, & Doctorum

niæ cum calumniis, aut conuitia cum conuitiis, sed res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione certare debent. At in illo libello nec rebus, nec causæ, nec rationi vsquam locus est : calumniis totus nititur, & conuitiis turget. Verùm cum eiusmodi rebus nec dissidium volumus esse nobis, nec commercium. Quos ista delectant, aut ridemus, aut miseramur. Cætera per nos illis impunè cedunt. Præterea non videbatur nobis satis humanum hominem ira tum feruentem, lauroque ardente clamosiorem verbis coercere, ne crescente animi impotentia cum iræ mederemur, furorem concitaremus. Reminiscebamur enim comicæ istius sententiæ,

Baccha bacchanti si velis aduersarier
Ex insana insaniorem facies.

Nunc autem nonnihil reformidamus ne suspicetur aliquis eas calumnias vt veras nos admittere quas libellus ille nobis tam insolenter inurit, si tot refutatis eiusdem generis calumniis istas tamẽ non minùs graues & iniquè confictas statua taciturnius prætereamus. Huic rationi accedit alia, quod scilicet ad refellendas & retundendas calumnias illas licet multiplices, omniaque hinc eruta argumenta li-

bello non opus est, sed paucis paginulis quæ commodè huic elencho appendentur, incommodè separatim ederentur. Respondebimus igitur, sed quàm breuissimè, nosque infra legitimæ defensionis terminos continebimus

Nam mihi de nullo fama rubore placet.

Si quid tamen existimet in se dictum inclementius, quod nobis excidisse non iudicamus ----- *sic existimet*

Responsum non dictum esse, quia læsit prior

Calumniæ septem sunt diuersæ, quarum prima velut virus acerbissimum per totum librum spargitur, & libro cum secunda quæ planè iocularis est & comica, occasionem dedisse videtur. Hæc & alia eiusmodi non infestiua, vniuscuiusque calumniæ enarratio quæ sequitur, edocebit.

Cap. I.

Primæ calumniæ abstersio.

PRima calumnia est, Nos in Exercitationibus nostris asserere Iudæos de industria in odium religionis Christianæ sacros suos libros corrupisse. Scimus hanc sententiam grauissimorum autorum esse, imò omnium fere Patrum, & Doctorum

Catholicorum neotericorum maiorem partem in eam inclinare. Quapropter nemo poteſt ſine impietatis nota conuitiis eam inſectari. Semper tamen nobis placuit magis aliorum ſententia, qui mendas & corruptelas illas Librariorum incuriæ, oſcitantiæ, hallucinationi, temporum iniuriæ,& aliis fortuitis caſibus tribuunt. Hanc ſententiam vbique, nuſquam aliam, amplexi ſumus; imò aliam nobis non probari nonnunquam diſertè ſignificauimus: Ideo paſſim in Hæreticos inuehimur qui codicibus Hebræis illibatam prorſus integritatem vendicare ſolent. Iſtius fatuæ hæreticorum aſſertionis confutatio vnicus ſemper fuit ſcopus ad quem collimauimus. Sententiam autem noſtram adeo ſæpe & euidenter explicueramus, vt ſi quid inde nobis metuendum fuit, exprobratio erat importunæ ſenſus noſtri reiterationis; ſed nihil minùs quàm eiuſmodi calumniam metuiſſemus. Nam ſub finem Exercitationum noſtrarum Samariticarum, hoc eſt c. 5. Exercitationis poſtremæ de Hebræi textus varietatibus diſſerere cœpimus. Sed paucis paginis ſaltem octies & decies ſententiam noſtram, diſertè expreſſimus, & declarauimus vnicum propoſitum no-

ſtrum eſſe eorum opinionem conuellere qui Iudæorum Scribas ἀναμαρτήτους prædicant, ſceluſque exiſtimant inexpiabile de Iudaicorum codicum illibata ſinceritate vel tantillum dubitare. pag. 303. 306. 307. 311. 314. 315. 317. 321. 325. 330. 335. 337. 341. 346. 349. 355. 360. 363. Antea quoque data quauis occaſione non ſemel idem teſtati ſumus. In præfatione noſtra obſcurius non ſumus locuti. Initio diſputationis de iſta re Theſim eandem propoſuimus, & ſæpius repetiuimus, vide Præfat. n. 14. 35. 38. 43. 40. 41. his duobus numeris ſententiam noſtram multis verbis explicamus. Dicimus inſuper n. 42. & probamus Iudaicas correctiones quæ Scribarum dicuntur, non eſſe Iudæorum audaciæ imputandas, ſed codicum varietati. Bis quidem diſiunctiuè locuti ſumus n. 25. 27. certas quaſdam varietates tribuendas eſſe corruptelis ſiue deliberatis ſiue fortuitis. Hoc fecimus duplici de cauſa, primùm eo quod ſententia illa magis adhuc opponitur hæreticorum ſententiæ quàm noſtra: Deinde ne nimium præiudicaremus alteri ſententiæ quam probabilem iudicamus, licet contrariæ vt nobis probabiliori adhæreamus. Notabit præterea Lector ita

cautè de hac re nos esse locutos, vt cum Patrum sententiam qui Iudæos passim malignæ falsationis accusant, nos referre contingit, semper scribamus, Hæc est Patrum sententia, Ex sententia S. Hieronymi colligitur, &c. ne quis vllo argumento hanc sententiam nos amplecti conijceret.

Censor tamen inuentus est qui non solùm crederet, aut credere se fingeret à nobis scriptum esse, Hebræos codices à Iudæis malignè corruptos esse, sed etiam aduersum nos ideo vehementissimè excandescerer,

O quàm mirabiles exarsit pronus in iras! Quantos in libello suo ciet in me clamores, qualia excandescentiæ παθήματα mouet, quot conuitia iaculatur, dum vnumquodque exemplum quod ad fortuitas mendas demonstrandas attuleram, ipse ad causas malignæ deprauationis examinat? Vno verbo multò aliter quam sperat illi responsum esto. Ridicula est vbique consequentia, fateor, Parum est. Planè stulta est & fatua consequentia. Nec hoc ad rei fatuitatem sufficit: Qui ex mendis quas in Exercitationibus illis protuli, licet in vnùm fascem omnes coniungantur, colligit Iudæos malignè & data opera codices

ſuos adulteraſſe, fatuus eſt, carceribus & repagulis coercendus, ne furore aliquando abreptus quadrupedum more mortalium cuipiam pauperiem faciat. Iudica, Lector, quale oporteat eſſe illius Cenſoris ingenium qui licet decies & octies paucis paginis diſertè expoſuiſſem me de fortuitis mendis & Scribarum incuria verba facere, memet tamen per vniuerſum librum aduerſus malignas deprauationes argumentantem inducit, atque eo nomine ſingulis periodis in me furibundus & minabundus inſurgit.

CAP. II.

Secundæ calumniæ abſterſio.

SEcunda calumnia eſt planè comica & iocularis. Exiſtimat in Cenſura ad cap. 5. Exercitationis quartæ in eum me ſcripſiſſe, & caput illud in eius ſcripta fuiſſe præſertim compoſitum. Ideo bilem ebullientem continere diutiùs non valens, hoc loco

--- omnes irarum effundit habenas.

At ego ſincerè teſtor me hactenus nullos illius libros legiſſe, præter libellum quem in Exercitationes meas Samarit. ſcripſit,

& foliolum in præfationem meam ventis temerè creditum : imò Commentarios ipsius in Psalmos quos intelligit, nō modo me non legisse, sed ne quidem vnquam tetigisse, ingenuè iterum profiteri possum. Scripsit etiam nescio quæ in Exercitationes meas Biblicas. Sed librum istum consimiliter nunquam legi : semel tantùm in Amici Musæo ipsius rogatu duas aut tres paginas percurri, sed in ea contigit me incidere quæ de scriptis meis nihil agebant. Quid in ipsius scriptis reprehendere me contigit, non indicat; neque ego qui illa nunquam vidi diuinare possum. Illius capitis initio multa ἠθικῶς in Hæreticos scribo qui studium Ecclesiæ Christianæ in conseruandis libris sacris nihili faciunt, licet oraculo diuino constituatur columna & firmamentum veritatis, & Iudæos Iesu Christi hostes tanti faciunt, vt ab eorum hac in re dictatis ne latum quidem vnguem discedere velint. Nihil est in toto sermone quod Hæreticis non conueniat, etsi quædam ex sermonis contextu abrupta possint aliis quàm hæreticis conuenire. Ipsum capitis initium perspicuè demonstrat de eo me nihil prorsus agere. Scribit enim libelli sui multis locis men-

das fortuitas & innumeras in Iudæorum codices facilè irrepere posse, imò fieri aliter non potuisse, seque si aliter diceret sanum non fore, sic pag. 143. 165. 170. 189. Alibi paratus est communibus armis eum adoriri qui aliter edixerit. At nos caput illud post tres aut quatuor lineas sic incipimus: *Hæc ÿs quæ dicturi sumus intelligendis necessaria sunt, & complurium præcipitem sententiam frænabunt, qui codicum Ecclesiæ Catholicæ integritatem vellicare & traducere non erubescunt, sed de Iudaicorum sinceritate vel tantillùm dubitare, scelus nullis sacrificÿs expiabile existimant.* Quî potuimus aduersus eum stylum nostrum hac in causa stringere, qui illud passim scribit & credit de textus Hebraici mendis, quo nihil vnquam asperius de eodem textu cogitauimus, nedum scripsimus. Imò longè asperius in Iudæos inuehitur, quàm nos vnquam fecerimus. Scribit enim pag. 143. eos in fraudem & damnum Christianorum vnum aut alterum locum corrupisse, quod de nullo vnquam loco scripsimus, nec eos tantùm scelus prudentes aliquando perpetrasse credimus. In hunc hominem non inficetè quadrant Amphitruonis ista,

Ea quæ sunt facta, infecta esse acclamitat:
Quæ neque sunt facta, neque ego in me admisi, arguit.
Atque id me susque deque habiturum putat.

Non malè auguratur; ea susque deque habeo, & habiturus sum.

CAP. III.

Tertiæ calumniæ absterſio.

TErtia calumnia ex maligna dictionis, *immaniter*, intelligentia oritur. Mentionem feceramus breuissimam variarum mendarum quæ in libros Hebræos post Masoretharum correctionem irrepserant, Orientalium scilicet & Occidentalium; earum quæ satis magno numero collegit tam de literis, quàm de punctis R. Menahem in solo libro legis; earum præterea quæ ex variis codicibus excerptæ sunt, & interioribus marginibus Bibliorum Venetorum adscriptæ. His, paucisque aliis relatis statim subieceramus, *Apud te perpende, Catholice Lector, si tam immaniter post Masorethærum correctiones, emendatissimi Iudæorum libri inter se dissentiunt, quid accidit ante Masorethas, & in ipsa omnium gentium barbarie?* dictionem, *immaniter*, ad

mendarum qualitatem & grauitatem refert, quam de quantitate intellexi, id est, si tam multis locis dissentiunt Iudæorum libri,&c. significatio ista plurimùm vsitata est, immanitas pretij eleganter dicitur, immania templa, immania saxa; Eleganter quoque de quantitate discreta, immanis annorum numerus, diuitis ingenij est immania Cæsaris acta condere, &c. Censor dictionem illam semel loco dicto positam, in Censura octaui capitis primùm ad mendarum grauitatem & pondus torquet, deinde ad duodecim exempla mendarum trahit, quæ tantùm explicare incipimus post sesquipaginam à loco quem occupat in textu meo illa dictio. Hac calumniosa interpretatione primæ iunctâ tam ridicula exurgit ex vnoquoque exemplo argumentatio, vt neminem, opinor, tam insulsè aliquando argumẽtatum fuisse. Moriones illi qui in Principum aulis risum mouere solent, nunquam tam fatuè ratiocinantur, quàm Censor toto illo capite nos fingit ratiocinantes; Hinc illi jocorum & scommatum ampla seges nascitur.

Cap. IV.

Quartæ calumniæ abstersio.

CAlumniæ ſequentes ſpeciales ſunt, nec vt præcedentes per vniuerſum librum, aut illius magnam partem diffunduntur. In hac quam exaggerat in Cenſura capitis noni, quæſtio eſt, de dictionum צָדוּ, aut צרו, varietate Thren. 4. v. 18. ſcripſi Abeneſdram vtramque lectionem agnoſcere. Vbique Cenſor, ſed præſertim hîc, grauitatis Cenſoriæ obliuiſcitur, & mirificè inſultat mihi. Quamobrem verò? Non agnouit, inquit, Abeneſdra vtramque lectionem, nam vnam refellit. Quaſi verò Latinè agnoſcere ſit ſemper approbare: imò vtramque agnouit, quia vnam admiſit, alteram improbauit. Hæc ſunt verba mea, *Poſterius à Maſorethis animaduerſum eſt, atque in varias lectiones relatum: ſed Prioris non meminerunt, verùm Abeneſdra in libro צחות ad literam reſch vtramque lectionem agnoſcit, & contendit ex Prouer. 4. v. 12. recte dici greſſus arctare, attamen textui de quo agitur venari magis competere.* Calepinum conſule, τὸ agnoſcere primùm notitiam & cognitionem, aliquando etiam

approbationem. Scripsit Varro, *Vereor ne me quoque dum reuertero, præter canem agnoscat nemo.* An canis approbat Dominum? Sic Virgilius, *agnoscitque suos, lætosque ad mœnia ducit.* Et quod magis mirêre: eo ipso loco dixi Abenesdram alteram vt huic Threnorum textui non satis conuenientem repudiare. Quid est Criticis familiarius quàm è variis codicibus varias quę occurrunt lectiones excerpere. Num tamen quia multas eodem loco nonnunquam agnoscunt, & adnotant, omnes tamen semper approbant.

CAP. V.

Quintæ calumniæ abstersio, in qua de traditionibus aduersus Karaitas ex libro Cozri disseritur.

QVintam calumniam explicat in Censura capitis septimi. Eam peperit Censoris ingens audacia forsan hactenus inaudita. Scribit nos in testimonio quod è libro Cozri contra Masorethas attulimus, obiectionem pro assertione obtrudisse. Testimonium est eiusmodi, *Numquid vides quod opus eorum in hoc vanum fuit, & superuacaneum & diligens occupatio in re dam-*

nabili. Scribit Censor hæc verba obiectionem continere Doctoris Iudæi Proselytum suum instruentis : Responsionem autem & rei assertionem mox sequi regerente Proselyto, *Occupatio esset profectò culpanda vituperandáque nisi ea pertineret ad conseruandam legem, ne vllo vnquam modo posset interpolari.* Censorem librum Cozri non consuluisse certum est: Nam id quod vt assertionem objjcit à Buxtorfio mutuatum est; nec plura refert quam ille retulerit, licet verba Cozri quæ sequuntur, quæque omisit Buxtorfius, ad periodum illam pertinerent, & Censoris sententiam nonnihil confirmarent. Audacter tamen & calumniosè nobis imputat assertionis pro obiectione acceptionem. Alibi integram libri Cozri ratiocinationem eo loco explicuimus. Illam hûc referre longioris est operæ. Breuiter tangam summa rerum fastigia: Non enim tantùm proposito nostro conducunt, sed etiam Hæreticorum nostri temporis de traditionibus sententiam conuellunt.

Libri autor sermone, seu libro 3. capitulo siue numero 22. disputationem incipit aduersus Karaitas seu Iudæorum Hæreticos qui traditiones omnes repudiant, eam-

que vſque ad cap. 53. continuat. à cap. 53. ad libri tertij finem Kabbalæ ſucceſſionem ad maiorem Karaitarum confutationem enarrat. Capitulo igitur 22. inducit regem Proſelytum quem Cozarem vocat, vnde libro nomen datum, pro Karaitis vt pro aliis ſectis iam fecerat, contra Rabbaniſtas arguentem. Rabbaniſtas vocat cæteros omnes Iudæos qui Talmud, καὶ τῶν Rabbanim traditiones & decreta ſequuntur. Primum obijcit Karaitas & cultui diuino, & literali legis textui Rabbaniſtis diligentius attendere. Multis reſpondet Doctor zelum bonum non ſufficere, & exemplis id demonſtrat, ſed legem ita explicandam vt docet Cabbala, fideliſque congregatio. Aſſentientem ex parte Proſelytum, ſed adhuc librorum neceſſitati nimium adhærentem interrogat autor quid faciendum vbi libri diſſentiunt. Reſpondet Cozar librorum multitudini inhærendum. Obijcit autor cap. 27. quod ſupra ex Cozri & Abeneſdra retulimus. Quid ages in literarum permutatione difficili vt נפשו, נפשי; צרו, צדו. Librorum multitudo habet צדו, *venati ſunt*, at legendum צרו, *coarctauerunt*. Sic נפשי, *anima mea*, at reſtituitur נפשו, *anima eius*. Ratio eſt quod quæ Ma-

sorethæ in textu reliquerunt, librorum tribuenda sunt multitudini, quod in margine, vbi vera est lectio, paucitati vt interpretatur Commentarius. Non igitur semper librorum multitudo sequenda, sed illi traditio iungenda.

Ridiculè Proselytus ex Karaitarum doctrina sententiam suam addit, per omnem Masoræ criticam locum illum examinandum, per literas, dictiones, puncta, accentus, versus, &c. Doctor occasione arrepta punctorum, &c. Proselytum interrogat, qualem putas legis librum fuisse quem filiis Israel reliquit Moses? Consentit Proselytus simplicem fuisse sine punctis & accentibus. Hinc multis cap. 31. colligit autor aduersus Karaitas traditione vocales & accentus, à Sanhedrin, à viris piis, aliisque conseruatos fuisse. Quo dicto statim in eodem cap. nulla mora interiecta, Proselytum rogat, ומה תחשוב על אשר תקנו המקרא בפסוקים תחלה ואחר כן בנקוד ואחר כן בטעמים וכול׳ התראה שמעשיהם בזה לריק ולבטלה או השתדלות בדברי חובה. *Quid igitur senties de eo quod ordinauerunt & distinxerunt scripturam primùm per versus, postea per puncta, postea per accentus,* &c. quæ sigillatim enumerat quibus subiicit

jicit verba quæ retulimus : *Numquid vides quod opus eorum in hoc vanum fuit, & superuacaneum, & diligens occupatio in re damnabili.* Dicamus similiter, Numquid vides quod hæc verba Doctoris sunt quæstionem decidentis & definientis, qui post probatam traditionis necessitatem ex communi principio quod liber legis sine punctis & versibus ad Masorethas vsque conseruatus sit, addit de opere Masorethico sententiam suam. Deinde quî fit probabile Doctorem istum tam multis verbis discipulum experiri; discipulum verò paucis verbis quæ sequuntur rem determinare? Denique discipuli verba Karaitarum sententiam confirmant, quam autor pro viribus refellit : Non sũt igitur decretoria.

Sed audiamus Proselytum regerentem ea verba quæ Censor assertionis vicem subire decernit : Antecedentia immediatè hęc sequuntur. Autoris sensum integrum referemus, sic incipit capitulum 32. אבל השתדלות בדבר חובה עם שמירת התורה שלא יהיה דרך לשנותה עם החכמה המופלאה · כי נראה מקביעות הנקוד והטעמים סדר שלא יהיה אלא מחכמה נעזרת איננה מערך חכמתנו בשום פנים

ולא יתכן שיהיה מקובל אצל ההמון אלא מרבים רצוים או מיחיד רצוי ולא יתכן שיקבל ההמון מיחיד אלא אם יהיה נביא או נעזר בענין האלהי׃ *Verùm cum diligente ista occupatione in re damnabili coniuncta est admirabili sapientia conseruatio legis, vt nullomodo mutari posſit. Videtur enim inscriptio punctationis & accentuum esse ordo qui institui non potuit nisi per sapientiam diuinitus infusam, nec vllomodo per sapientiam nostram. Nec decuit vt à promiscua multitudine traditione acciperetur, sed à multis Deo acceptis, aut ab vno Deo accepto: Neque etiā decuit vt multitudo ab vno acciperet nisi Propheta esset, aut supernè adiutus in negotio diuino.* Hæc Karaitarum nomine pro legis textu profert discipulus aduersus id quod Doctor quæstioni præcipuæ de punctis Cabbalà conseruatis adtexuerat in opus Masorethicum, quo colligit obliquè Cabbala opus non esse cum diuinitus facta fuerit punctorum inscriptio.

Hîc aduersus Censorem duo nota, Prius, illa omnia verba quæ diuinam asserunt esse punctorum inscriptionem eum omisisse, licet apprimè eorum commemoratio sententiam suam iuuaret. Posterius, tres illas ipsas dictiones, עם החכמה המופלאה,

cum admirabili sapientia, quæ ipsius proposito non tantùm mirificè conducebant, sed etiam ad periodum quam retulit, pertinebant, præteriisse. Quamobrem verò à Librum Cozri nunquam consuluit: Periodum quam refert, à Buxtorfio in Commentarij Masorethici cap. 20. mutuatus est. Plura verba non excerpsit Buxtorfius, nec plura Censor. Tria illa verba licet ad periodum pertinerent vt res ipsa docet, & monet Cozri Commentator, Buxtorfius aliud cogitans omisit; ita & Censor. Denique totum Censoris studium in eo fuit occupatum, vt Buxtorfij Latina verba Latinis aliis commutaret: Quid ibi asseratur, prorsus nescit, nec vnquam legit pulcherrimam illam Rabbini istius aduersus traditionis hostes disputationem. Dicere tamen audet nos autoris obiectionem pro assertione exhibuisse.

Addit Censor, *Atque manet hoc apud illos ratum, nec repugnat Iudæus*. Non manet hoc apud eos ratum quum de eo quæstio non verteretur. Sed vterque & Rabbanista & Karaita de Masorethis sententiam suam data occasione paucis explicat, cui neuter insistit. Percurramus sequentia, Doctor relicta incidente illa quæstione de

diuina punctorum inscriptione quam Ka-
raitarum defensor asseruerat, præcipuam
resumit capitulo 33. & ex concessis ad an-
gustias discipulum redigit. Si inquit ita
est, hoc est, per Cabbalam puncta, &c.
conseruata sunt, Nos & Karaitæ obliga-
mur ad Cabbalam, & omnis qui fatetur
quod lex ita scripta & disposita vocatur lex
Mosis. His adstipulari concedit Karaitas
Proselyt⁹, sed cum limitatione, כן אומרים
הקראים אבל אחר שמצאו התורה שלימה
הקבלה אל צריכים אינם. *Sic dicunt Karai-
tæ, sed postquam inuenerunt legem perfectam
non est amplius illis necessaria Cabbala.* Re-
spicit Proselytus ad laudem quam Maso-
rethis dederat quum *legem perfectam* vo-
cat; quo fit euidentius sex vel septem li-
neolis antea Masorethis laudes non ex au-
toris, sed ex Karaitarum mente & sensu
tributas fuisse.

Hoc firmissimè demonstrato, per Cab-
balam scilicet, conseruata fuisse puncta,
accentus, versuum distinctionem, siue eo-
rum adscriptio, & literarum enumeratio
fuerit inutilis, vt vult doctor, siue diuini-
tus à Masorethis facta vt volunt omnes
Karaitæ, hoc enim ad ipsius propositum
non refert, pulcherrimam aggreditur con-

tra Karaitas disputationem, & eam fusissimè per longa capitula prosequitur, cap. 35. & sequentibus. Illius autem fundamẽtum est, Si tot sunt in libro legis ad quæ obseruanda ex Cabbala seu traditione obligamur, Puncta, accentus, versus, Masorethicæ criticæ; Quanto magis obligamur ad res ipsas in libro legis contentas iuxta traditionem intelligendas. Deinde multa præcepta refert quæ sine Cabbala intelligi & explicari non possunt; alia scribit esse obseruatu necessaria quæ ab antiquis præter legem eiusmodi sunt iudicata, vt festum sortium, festum dedicationis templi post illud ab Antiocho prophanatum. Respondet quoque Karaitarum obiectionibus è scriptura petitis, vt huic, Non addes verbo quæ ego dico, neque auferes ab eo. Multa alia edisserit quæ aduersus Catholicorum Karaitas vsui possunt esse maximo. Plura quam necesse erat, ex eo libro retulimus: Manum è tabula subducere proposita breuitas nos monet.

Cap. VI.

Sextæ calumniæ absterſio.

SExta calumnia ex eodem loco petita eſt, nos mala fide Ephodæi teſtimonium ex Commentario in librum Cozri retuliſſe. Præcedenti teſtimonio in eundem ſcopum aliud addimus, vt ſcilicet plures antiquos Rabbinos Maſoram contempſiſſe demonſtraremus. Hæc ſunt verba noſtra, *In eadem ſententia fuiſſe plures Iudæorum Rabbinos, atque ipſum Aben-Eſdram demonſtrat ex Ephodæo Cozri Commentator.* Ephodæi verba ſequuntur. Vides Lector nos non dicere Ephodæum in ea ſententia fuiſſe. Quia autem Ephodæi liber præſto nobis non erat, illius verba ex Muſcato Rabbino τοῦ Cozri Commentatore retulimus. En falſationis duplicis accuſamur. Prior eſt, quod Ephodæi verba ſequentia quæ Maſorethas laudant, reticuimus. Rectè quidem ſi Ephodæum Maſorethas contempſiſſe dixiſſemus. At de hoc ne verbum quidem. Sciebamus enim Ephodęum Rabbinos Maſoram contemnentes arguere. Sed ex ipſo demonſtrauimus Rabbinorum plurimos

contrariam sententiam amplexos, quia hoc, vt Censor fatetur, manifestissimè dicit, רוב החכמים שראיתי ושמעתי מפחיתים ומבהילים ומגנים את הקחירת הזאת המיוחסת לספרים. *Multi sapientes quos vidi & audiui despiciunt, traducunt, & vituperant studium hoc Scribis attributum.* Quis sic colligat, Refert Aristoteles, Parmenidem, Heraclitum, Platonem, &c. in eiusmodi fuisse sententia. Ergo qui hoc ex Aristotele retulit, scripsit Aristotelem in eadem fuisse sententia. Titius scripsit, SS. Epiphanium, Augustinum, Philastrium referre Valentinianos, Arianos, Aerianos, &c. Christi diuinitatem negare, Episcopi à Presbytero distinctionem tollere, &c. Ergo scripsit SS. Epiphanium, Augustinum, & Philastrium in eadem esse sententia. Quodnam illud est ratiocinationis portentum?

Secunda falsatio est, Morinum ea testimonia omisisse, quæ pro Masora facerent, licet τοῦ Cozri Commẽtator, & post illum Buxtorfius multa eodem loco referant. Istud tragicè miratur Censor. At illius admirationẽ miratur Morinus. Nemini dubiũ est Iudæos Masoram plurimi facere: Hoc non modo fatetur Morinus, verum etiam

ſcripſit ibidem æſtimationem illam in ſuperſtitionem degeneraſſe. Sed contendit antiquiores Iudæos multos in contraria fuiſſe ſententia. Quo iure tenetur ea conquirere teſtimonia quæ Maſoræ autoritatem conciliant, ita vt niſi id faciat falſi reus ſit peragendus? De Cenſoris æquitate iudicium, ferat Lector.

Cap. VII.

Septima calumniæ abſterſio.

POſtremam in ordine noſtro calumniam facit Cenſor in libello de Hebraicæ editionis veritate p. 30. & 31. Libellum hunc vnà cum Cenſura ſua in vnum librum compegit. Criminatur nos veluti codicem Samaritanum qui in Oratoriana Bibliotheca conſeruatur, pro ipſo Moſis Archetypo venditaremus, eo quod purum putum Moſis Pentateuchum in præfatione noſtra eum vocauerimus. Res ſic ſe habet. Occaſione data quam in Præfatione explico codicem iſtum euoluo, Lectionem Samaritanam diſco, textum cum vulgato Hebræo plurimis in locis comparo, eundem textum comperio, eadem verba, eundem verborum ſitum, eaſ-


dem literas figurâ tantùm differentes, vt & S. Hieronymus adnotauerat, præfatione in libros Regum. Itaque in præfatione mea quam inter euoluendum illum codicem componebam, sic scripsi, *animum subijt codicis nostri Samaritici euoluendi desiderium. Statim autem deprehendimus Pentateuchum nostrum Samaritanum purum putum esse Mosis Pentateuchum vulgarem Hebraicum literarum tantùm characteribus, vt testatur Hieronymus, ab Hebræo dissentientem.* Quum purum putum scripsimus, intelleximus non supposititium, non fictitium, vt autoribus multa supponi solent, de quibus nunquam cogitauerunt. Quàm multa Apostolis vt alios omittam falsissimè inscripserunt Hæretici? Scripsi multis indiciis me deprehendisse codicem istum non continere eiusmodi Mosis Pentateuchum, id est, supposititium. Dictiones quoque *purus*, *putus* commodè & ex vsu linguæ Latinæ opponuntur simulato & supposititio. Neque etiam istæ dictiones significant id quod est ita purum quod nulla macula est contaminatum. Idem enim significant quod genuinum & germanum: Non omne autem quod genuinum dicitur, est ab omni labe purgatum. Si mihi antiquos co-

dices euoluenti occurreret codex cum hac inſcriptione, Ciceronis de republica libri, &c. Deinde librum percurrens ex ſtylo iudicarem eſſe Ciceronis. Poſtea vlteriùs pergens varia teſtimonia è libris Ciceronis de republica à diuerſis autoribus citata colligerem eaque eodemmodo in codice meo legerem, & his rationibus fretus pronuntiarem purum putum eſſe Ciceronis de republica librum. Num liceret hinc aduerſum me colligere, illum codicem Ciceronis eſſe archetypum; aut etiam ab omni menda illum eſſe immunem me aſſeruiſſe.

Denique non ſcripſi codicem illum eſſe *purum putum Moſis Pentateuchum*. Nefanda eſt calumnia, cui vt fucus illinatur reſecantur verba hæc ſequentia prioribus ex orationis contextu neceſſariò coniuncta, *Vulgarem Hebraicum, &c.* Vt quid igitur hæc Cenſoris verba, *Et tamen eſt hodie, qui, ſi Deo placet, pro Pentateuchi archetypo venditare audeat; imo, qua eſt fronte, nihil hæſitans affirmet, neſcio quem Samaritanum, quem in manibus habet purum putum eſſe Moſis Pentateuchum.* Qua fronte Cenſor nihil hæſitans tam atrocem calumniam periodi mutilatione velut fuco ſubornatam incau-

to Lectori venditat? Neque prætereà me illius codicis integritatem de ὁλοκλήρῳ integritate intellexisse satis superque docent eadem verba quæ vocant istum Pentateuchum vulgarem Hebraicum. Quot enim istius Pentateuchi ab Hebraico varietates quæ non modo literas spectant sed dictiones, sed periodos tam in præfatione quàm in Exercitationibus Samaritanis enumero? Auet vbique Censor sincerum vas incrustare, quod hominum nulli licet, at Censori omnium minimè.






ANIMADVERSIONVM In Censuram Exercitationum Ecclesiasticarum ad Pentateuchum Samaritanum, Pars posterior.

IN QVA

Censoris notæ expunguntur.

ANIMADVERSIO

In Censuram capitis primi Exercitationis tertiæ, in qua de antiquis Patribus qui Samaritanum codicem citauerunt.



Bstersis & summotis calumniis istis vix vllum nobis responsum superest quod causæ statum spectet. Cum laruis enim Censor perpetuò luctatur, & sententiæ nostræ ne semel quidem vmbram attingit. Itaque potuit hîc commodè finis animaduersionibus nostris imponi. Cætera tamen visum est breuiter perstringere, licet ad causæ principalis definitionem sæpe non pertineant. Iure an iniuria id fecerimus, Lector iudicabit.

Censuram orditur Censor à reprehensione laudis quam de codice Samaritano Europæ hactenus incognito dicturi, literis tribuimus; quod scilicet Dei, hominumque dicta, imperata, facta, cogitata, posteritati conseruent. Huius laudis occasio fuit, admiratio quædam maximi consensus istius codicis cum iis quæ ex eo S. Patres excerpserunt, quem ex comparatione illius cum antiquis fragmentis deprehenderamus. Censori videtur nimiùm diffusa, & Lectori tædium creare. Illi tantum responsum esto quod Cosconio respondit in causa simili Martialis

Non sunt longa quibus nihil est quod demere possis:
Sed tu Marota, disticha longa facis.

Eodem capite n. 3. 4. & seq. conqueritur quod ex discrimine textus Hebræi Samaritani à Iudaico corruptelas in Hebraicum irrepsisse iudicauerim. Arma, pugnas, prælia semper sibi fingit homo sui non compos. Nihil eo loco nec sequentibus in Hebræos codices colligo. Tota illa exercitatione enarro quæ à Patribus & antiquis scholiastis de codice Samaritano referuntur, & noto eadem verba siue hemistichios in codice meo deprehendi. Hinc colligo

codicem meum non eſſe ſuppoſititium, ſed eundem quo vſi ſunt olim S. Patres. Incipio ab eo quod ait S. Hieronymus q. in Geneſim in Samarit. codice ſcribi Gen. 4. 8. *Tranſeamus in campum.* Noto ſic legi in meo codice. Addo ſic legere 70. Vulgatam, Syrum Interpretem, & Thargum Hieroſolymit. Maſorethas inſuper adnotare ibi eſſe lacunam, atque ideo locum vacuum ibi relinquere. An autem rectè an ſecus id expreſſerint Samaritani non definio, nec tota illa Exercitatione quid ſimile definire propoſitum erat. Hieroſolymitano Paraphraſtæ nunc addo Ionathanis paraphraſim, ואמר קין לות הבל אחוהי איתא ונפוק תרוינן לברא והוה כד נפקו תרויהון לברא, *Et dixit Cain ad Abel fratrem ſuum, Veni & egrediamur nos ambo in campum, & factum eſt cum egreſſi eſſent ambo in campum, &c.* Quod ad Abeneſdram attinet nihil ſcribit quod huic quæſtioni vel proſit, vel obſit: Illam enim prorſus præterit. Scribit quidem S. Hieronymus in quæſt. in Geneſim à nobis citatis voces illas ſuperfluas eſſe, ſed hoc in Samaritani codicis contumeliam non ſcripſit, alias verſionem Eccleſiaſticam contumelia affeciſſet: Sic enim ſcribit, *Superfluum eſt ergo quod in Sa-*

maritanorum & nostro volumine reperitur, Transeamus in campum. En Lector vt S. Hieronymus senex Ruffino respondet eum accusanti quod de 70 Interp. detraheret, Apologia 2. *Egone contra 70 Interpretes aliquid sum locutus quos ante annos plurimos diligentissimè emendatos, meæ linguæ studiosis, quos quotidie in conuentu fratrum edissero, quorum Psalmos iugi meditatione decanto? tam stultus eram, vt quod in pueritia didici senex obliuisci vellem, &c.* Multis aliis verbis hanc calumniam à se sanctus amolitur, sic præfatione in Iobum, Psalmos, librosque Salomonis, & alibi.

Eadem est ratio testimonij ex S. Hieronymo in v. 10. c. 3. Epist. ad Galatas. Locum attuli non eo quod S. Hieronymus demonstrat ibi Iudæos codices suos corrupisse, sed eo quod refert in codice Samaritano vocem כל reperiri quæ ab Hebræo codice abest. Assero igitur in codice meo illo ipso loco כל reperiri, quo indicio cum aliis eiusmodi codicem meum non νοθέυεσθαι colligo. An rectè necne dictio כל, adsit Samaritano, absit à Iudaico non disputo, sicut nec de aliis multis quas eo capite enarro. Quid senserit eo loco de codicibus Hebræis S. Hieronymus docui in Exercit.

Biblicis Exercit. 3. c. 2. Quæ hûc referre nihil attinet.

Numero 12. indicat mihi locum S. Hieronymi in quo Iudæos coniicit Hebræum textum deprauasse, quem me fugisse miratur. Non erat admirationi locus, multa enim me fugiunt. Sed non me fugit hic locus, illum enim refero in præfatione n. 15. diu ante Samariticas Exercitationes edita. Eo autem capite illius non memini, quia id fuisset extra oleas vagari. Locus ille apud S. Hieronymum legitur eodem cap. 3. Epist. ad Galatas, in quo nullam prorsus mentionem facit codicis Samaritani. At in illo Exercitationum capite mihi tantùm propositum est ea Veterum testimonia proferre quæ è codice Samaritano aliquid referunt, vt testantur, & capitis titulus, & quæcunque in eo referuntur. Quàm ineptè igitur illuc testimonium de quo quæstio retulissem? Facile assentior neutrum locum à Iudæis malignè fuisse corruptum, idque non satis euidenter probare S. Hieronymi rationes. Sed siue corrupti sint isti loci, siue sinceri de eo nihil prorsus agebam.

Tandem hæc ad finem censuræ istius capitis sic scribit, *In reliquis testimoniis, quæ à Morino*

à Morino proferuntur, in isto capite describendis absit vt tempus & operam abuti velim: Solum enim probant tale esse hodie Samariticum exemplar, quale ante mille & ampliùs annos; id quod vltrò nunc illi concedo. Nihil ego ampliùs eo capite, imò tota illa Exercitatione probare volui. Exercitationis scopus est vnicus demõstrare codicem meũ eundem esse quem Patres citauerũt. Id duobus argumentis demonstro, Prius ab iis locis quos Patres citauerũt è Pentateucho Samaritano qui differunt à Iudaico: Locos istos refero capite primo. Posterius ab iis locis quos iidem Patres citant consentientes Hebræo Iudæorum: illos enumero capite secundo. Capite tertio & postremo istius Exercitationis examino ea testimonia quæ autores antiqui è codice Samaritano referunt, & cum neoterico non videntur consentire. De mendis textus Hebræi nec ago, nec tota illa exercitatione propositum fuit agere. Itaque quo iure Censor omisit Censuram secundi & tertij capitis, eodem potuit & primi.

ANIMADVERSIO

In Cenſuram cap. primi & ſecundi Exercit. quarta, in qua de vtilitate Samaritani codicis & autoritate illi tribuenda.

QVo animo abreptus fuerit, quum Cenſuram ſcripſit in caput primum & ſecundum 4. Exercit. difficile dictu eſt: Nulla enim illi datur laruæ ſuæ refingendæ occaſio. In vtroque capite de vtilitate Pentateuchi diſſero. Vtilitatem in eo conſiſtere ſcribo quod eo codice textus authenticus adiuuatur & illuſtratur, idque duobus inſignibus exemplis doceo, Prius annos vitę Thare ſpectat quos 145.tantùm fuiſſe dicit codex ille. In numeris Hebræi Latinique textus quanta ſit difficultas, quàm inſolubilis, omnes Chronologi ſciunt. At iuxta numeros Samaritanos nulla prorſus eſt. Quid irâ Cenſoris dignum pronuntiaui? An quod dixerim eo codice adiuuari, & illuſtrari textum authenticum, id eſt, Vulgatum? Hoc antiqui Patres & de codice Samaritano, & de hæreticorum, Iudæorum & Apoſtatarum verſionibus dixerunt? An quod dixerim, *Verùm Hebrais Samaritanorum codicibus qui*

stare voluerit, nulla difficultatis vmbra terrebitur? Poteratne aliquis istum codicem laudare modestius? Non dixi ei standum: aliis codicibus ne quidem in hac quæstione æquaui, multò minùs prætuli. Imò vbique de codice isto hoc obseruo, vt quotiescunque ex eo solo aliquid refero, nihil prorsus affirmem. Vt quid igitur Censoris verba, me illum codicem ad sepem legi faciendam adhibere, nunquam Iudæos & Christianos Samaritanis covsuros, &c.? Nec sequitur S. Hieronymum codicem istum flocci fecisse, eò quòd ad hanc difficultatem dissoluendam eo non est vsus. Flocci non fecit S. Hieronymus versiones Aquilæ, Symmachi, &c. nec Euangelium Nazarænorum eò quòd iis ad omnes enodandas difficultates non vtatur. Hac in causa codicem Samaritanum adhibuerũt, Iulius Africanus, & Eusebius.

Aliud videtur Censorem ad iram concitasse: Scribit enim Exercitationes meas *Rabbinorum lectione esse superbas*. Hactenus inauditum crimen. Pudibundus Censor, & humilitate Christiana insignis ne tantum scelus perpetraret nullum è Rabbinis testimonium referre voluit licet annum vigesimum & vltra literas Hebraicas Pa-

risiis publicè tum professus esset. Contentus est pauca quædam ex iis quæ Latinè explicueram Latinitate mutata referre, tria tantùm nescio vnde illa excerpserit, obiter indicauit, sed horum duo indicatione falsa. Superbus nimis Morinus est & non ferendus qui ex centum & aliquot autoribus Hebræis vltra quingenta testimonia in solis suis Samariticis Exercitationibus retulit, quorum nullum, si forsan decem aut duodecim excipias, ab vllo vnquam Christiano indicatum est, ne dicam explicatum. Mihi tamen videtur Censor gloriolæ vitium vitare cupiens in aliud multò grauius incidere. Laborum enim suorum fructus eximios quos habet in thesauris literariis reconditos inuidet publicæ vtilitati, inuidia sanè pessima. Gazæ suæ Hebraicæ contra id quod profitetur, nimiùm auarus est. Pudet ipsum vbi pudor non mihi videtur tolerandus. Liceat mihi Horatianis verbis cum ipso expostulare,

--- Quid enim differt, barathrone
Dones quidquid habes, aut nunquam vtare
paratis.

Iudæorum sapientum prudens est & frequens monitum, חבית של אפרסמון אל תנח באשפה אלא הטלטל אותו ממקומו כדי

שריחו נודף ויהינו ממנו בני אדם, *Vas Balsami ne reponas in stercore, sed transfer illud de loco suo, vt odor eius diffundatur, atque ex eo homines vtilitatem capiant.* Sanè non possum quin tibi melius precer, quàm maledico suo Martialis,

Hoc tibi pro meritis, & talibus imprecor ausis
Vt facias illud quod facis inuideas.

Ne ampliùs facias illud quod facis, ne labores tuos è Iudæorum Doctoribus expressos, vtilitati publicæ inuideas.

Posterius exemplum commorationem filiorum Israel in Ægypto spectat. Scribit Lectionem 70 Interpretum iamdudum illi cognitam fuisse. Non illi tantùm cognita est, sed omnibus qui ad difficultatem illam animum aduertunt. Nihil enim est apud omnes Chronologos magis decantatum. Sed nouum est argumentum quo Lectionem illam confirmamus, ex Hebræo scilicet Samaritanorum codice petitum. Deinde an vulgare est quod eandem Lectionẽ 70 Interpretum ex Talmude Babylonico, Hierosolymitano, & libro Mekilta antiquissimo confirmamus? Quod solutiones quinque istius difficultatis ex viginti duobus Rabbinis eruimus, vt ex multis aliis præcedentem? Nodum in scirpo quæ-

rit, nectitque difficultatem ne ex 70 Interpretibus & codice Samaritano proposita difficultas dissolui posse videatur. Sed postremis Censuræ verbis temeritatem suam modestè castigat. *Quod ad me attinet, rem in medio relinquo, nihilque statuo, nec meum est.* Lubensque remitto quod subijcit, *difficultatem è codice Samaritano non penitùs enodari.*

ANIMADVERSIO
In Censuram capitis tertij Exercitat. quarta, in qua de locis à Censore perperàm allegatis, deque ratione colligendi è varijs translationibus codicum originariorũ varietatem.

CEnsuræ capitis tertij eiusdem Exercitationis in primæ calumniæ absterſione est abundè responsum. Duo tantùm notabimus. Prius, Censorem duo testimonia hîc indicare ex tribus illis quæ à nobis non accepit, quæ ambo ex autoribus ipsis non exscripsit, sed nescio vnde excerpsit. Prius ex Bechai desumptum est in v. 2. c. 7. Geneseos, vbi refert quidem vt adnotat, ex animantibus & auibus mundis septena & septena in arcam fuisse introducta ad sacrificiorum necessitatem, ex immundis verò

bina ad conseruandam speciem. Sed statim post illa verba quærit Bechai rationem illius rei, de qua Censor potissimùm agit eo loco, quamobrem scilicet, dicit Scriptura de bestiis, vir & vxor eius; in auibus verò, mas & fœmina. Causam reddit Censor ex Oleastro, *quòd membra coitus in animalibus sint similia genitalibas hominis, non sic autem in auibus.* Quid verò respondet Bechai? quoniam generatio bestiarum similis est generationi speciei hominum; Auium verò generatio fit ouorum ministerio. Quæsiuerat etiam Bechai immediatè ante verba à Censore allata, quare dixit Deus septena septena tolles tibi, Respondet, quod si dixisset, duo duo tolle, dubitare potuisset Noë hoc illi tantum dictum esse ad speciei conseruationem, sed Deum septena præcepisse, vt illi sacrificij necessitatem indicaret. Si Censor Rabbinum ipsum consuluisset, an omisisset ea verba referre intra quæ concluditur id quod ex eo citat, quæque ad quæstionem quam maxima contentione agitat, multò magis conducunt quàm id quod profert? Quàm lubens Bechai testimonium cum Oleastri propter paritatem coniunxisset?

Alterum testimonium è libro Ialcuth

petitur : *Est* , inquit , *in libro cui titulus Ialkuth, qui dicat, &c.* Non notat quo libri loco, in quem ſcripturæ verſum ſcribatur id quod allegat : At liber Ialkuth qui eſt Commentarius in vniuerſam ſcripturam ex Talmude & antiquis Iudæorum Midraſchim contextus, liber eſt craſſus in folio charactere admodùm minuto , Quis percurrat hunc librum integrum vt tria aut quatuor verba quæ Latinè refert Cenſor, quæque ad rem nihil pertinent, deprehendat. Facillima tamen erat citatio : Librorum enim ſcripturę capita ſupra vnumquodque Gen. folium adnotantur,& præterea vnuſquiſque ſcripturæ liber in multo minutiores partes diſtribuitur, v. g. Gen. in 162.articulos,& tota lex in 963. Percurri verò totum Commentarium non modò in hunc verſum ſed in cap. 7. & 8. Geneſeos, At nihil eſt eius rei quam refert. Deinde ſic citat, *Eſt qui dicat in libro Ialcuth.* Quamobrem non expreſſit, quis ille? nam ad marginem libri indicatur ex quo autore ſeu libro vnumquodque ſit excerptum.

Poſterius quod notamus, Manifeſtum eſſe verſiones 70. Vulgatam, & Syram ex variis codicibus Hebræis eſſe factas, hoc

eſt, certum eſſe Vulgatam noſtram verſionem è Septuaginta verſione non eſſe expreſſam; Syram qua vſus ſum, & hîc exculitur ex neutra verſione eſſe tranſlatam; certum quoque S. Hieronymum vertendo non eſſe vſum eodem codice quo 70 Interpretes, nec Syrum iiſdem codicibus Hebræis quibus S. Hieronymus & 70 Interpretes. Tres igitur illæ verſiones nobis repræſentant tres varios codices Hebræos, & perantiquos. His quartus accedit Hebræo-Samaritanus codex. Verum quidem eſt Interpretem nonnunquam verbum aliquod addere textui primigenio vt ſententia clarior fiat, aut aliquam dictionem omittere quæ ex antecedentium contextu facilè intelligitur. Itaque ex eiuſmodi additione aut omiſſione facta in vnica verſione ineptè admodum quis originarium textum colligeret eſſe iis locis corruptum. Verùm id neceſſariò colligitur ex variis verſionibus cum omnes à variis autoribus ex variis codicibus originariis & diuerſo admodùm tempore conditæ ſunt. Sed multò adhuc validius argumentum eſt, ſi tres illæ aut plures concordes codici alicui originario antiquiſſimo conſentiant. At eiuſmodi ſunt omnia noſtra argumenta qui-

bus illo capite Exercitationis quartæ colligimus mendas in textum Hebræum irrepsisse. Fieri enim non potest, vt 70, S. Hieronymus, & Syrus Interpres in eandem additionem aut omissionem consentiant; aut si hoc contingit, oportet esse admodum rarum. Deinde quomodo tam variis temporibus scribentes, omnes tamen simul id addiderunt aut omiserunt, quod tanto post tempore in codice Samaritano deprehenditur? Nulla est igitur alia consensus istius causa quàm codicum Hebræorum quibus vsi sunt illis in locis consensus. Quum igitur Iudæorum neoterici codices dissentiant, certum est nunc Iudæorum codices illis in locis ab antiquis differre; & consequenter Iudæorum neotericos codices versionum antiquarum corrigendarum regulam adæquatam esse non posse, quod vnicum omnibus libris, quos de his rebus scripsi, demonstrare contendi. Versionum antiquarum dico; Nam neotericarum versionum cum omnes è Iudæorum neotericis codicibus expressæ sint, regula sunt adæquatissima.

Itaque vanæ sunt omnes Censoris exceptiones, Versiones ex versionibus esse expressas; Interpretem aliquid addere sen-

sus dilucidioris causa, satis hoc ex versionis contextu colligi. Nec etiam vllius est momenti exceptio, sententiam non mutari, sensum integrum esse, &c. Nam diuersæ sunt mendæ quæ in libros irrepunt, quorum aliquæ sensum mutant, sed vitiosum non reddunt; nonnullæ, sed vt plurimùm paucissimæ, sensum vitiant; frequentissimę sunt eæ quæ sensum aut non mutant, aut quàm leuissimè, vt videre est apud omnes Criticos. Aut si quis sacros cupiat, legat Lucam Brugensem, varietates Antuerpiensium Bibliorum, Marianam in Biblia, Bezæ adnotationes in nouum Testamentum, Roberti Stephani testamentum Gręcum, Masoretharum τὸ Keri & Chetib in Bibliis Venetis & Basileensibus, &c. Quanquam postremæ illæ mendæ ab aliis differant, & periculi minus habeant, mendæ tamen sunt; & sacri textus corruptelæ, aut saltem, si hoc nomine vti non vis, mutationes. Hæc paulò fusiùs explicare visum est, licet euidentissimè in Exercitationibus nostris explicata sint, quia Censori placet non in tenebris, vt aliorum hominum mos est, sed in meridiana luce palpari.

Animadversio

In Censuram cap. quinti Exercitat. quartæ, in qua de Iudæorum erga codices sacros religione.

TRansit Censor ad capitis quinti censuram. Causatur me datâ operâ obscurè exponere variarum Lectionum genus quod Iudæi vocant Keri Vchetib. Res sic se habet. Ex Elia Leuita initio secundarum tabularum vt adnoto, sex axiomata excerpo, quibus totum istud negotium exponit; Quod ad exempla attinet quibus axiomata sua illustrat Elias, Lectorem breuitatis causa, ista enim vt multa alia eo loco tantùm obiter attingo, ad Eliam ablego. Quid verò Censor? illa eadem axiomata mea quæ excerpseram, eodem ordine, & iisdem fere verbis nec pluribus exponit. Sed quæ distinctè ego appositis numeris, 1. 2. 3. &c. collocaueram, ille sublatis numeris ita confundit, vt nisi attentè legantur à se inuicem distingui non possint. Quid igitur plura quàm ego? Exempla quę affert Elias persequitur, quorum occasione de Imperatiuo Hiphil, de quiescentibus pe Iod, de accentu distinctiuo, de Seua

& Schurek disserit. Quasi verò de his ageretur. Sed Censorē oportebat verbo tenus saltem aliquid Masorethicū sonare. Si tibi per otium licet, vtriusque scripta compara.

Digreditur postea ad Iudæorum erga codices suos fidem & religionem, atque in me velut data porta ruit. At ego eo ipso in loco Masoretharum fidem & religionem in codices sacros agnoui, & prædicaui, *Non ausos eos lectionem quam corruptam existimabant è textu resecare quum multis exemplaribus confirmabatur, sed inuiolato textu correctionem suam ad marginem reposuisse.* Paulò ante in eodem capite dixeram, *Iudæorum Interpretes si codices Hebræos de industria corrupissent, sese suorum ludibrio & Censuræ exposuissent*, bisque & ter eodem capite dixi fortuitas tantùm varietates in codicibus Hebræis repertas esse, meque tantùm agere aduersus eos qui absolutam integritatem, & ἀναμαρτησίαν illis attribuunt. Furiosè tamen in me debacchatur quasi Iudæos dixissem malignè codices suos deprauasse. Lubentes amplectimur, & laudamus quod affers Genebrardi testimonium de Masoretharum erga textum religione. Nunquam quod ei vel tantillùm contradicat, scripsimus. Si scelus est

Iudæos malignæ deprauationis accuſare, quod indignationem tuam mereatur, in teipſum Cenſor debacchare, & furioſus eſto, qui hîc cum Genebrardo & alibi Iudæos accuſas malignæ punctorum vocalium inſcriptionis: Id enim Iudæis nec in præfatione mea, nec in Exercitat. Samariticis vſquam imputaui. Tu libri tui initio ſcribis olim in ea te ſententia fuiſſe vt exiſtimares Iudæos paſſim libros ſuos in odium Chriſtianorum malignè corrupiſſe; illoſque etiam nunc vnius aut alterius loci malignè corrupti reos peragis. At huius criminis ne ſemel quidem eos ſcripſi conſcios eſſe, nuſquam credidi, ſæpiùs quantum in me fuit, eo crimine purgaui. Sed non licet (iterum dico) homini Catholico ſine aliqua impietatis nota aduerſus hanc de maligna Iudæorum deprauatione ſententiam debacchari, cum tot antiqui Patres, tot Doctores Catholici, viri doctiſſimi, & Eccleſiæ acceptiſſimi iſtam ſententiam priuatim & publicè docuerint. Iſtam ſententiam ego, licet contrariam prorſus amplectar, & approbem, & honoro, & reuereor, probabilibuſque argumentis niti fateor.

Animadversio

In Censuram cap. septimi Exercitat. quartæ, in qua de Masoræ vtilitate & obscuritate.

A Capite quinto Exercitationis quartæ ad septimum transilit, atque ab initio me inducit ineptissimè argumentantem. Hoc modo, Corruptè scripserunt Masoram Iudæi, ergo in Biblia ipsa peccauerunt, *Quasi*, inquit, *istud esset legitimum argumentum. Indices vel concordantiæ marginales Latinorum Bibliorum forte corruptæ sunt: Ergo & ipsorum Bibliorum textus corruptus est.* Sic argumentatus sum toto illo capite non in codices Hebræos, sed in id quod Iudæi & nonnulli Christiani aiunt, Masoram esse sepem legi, & post Masoram non potuisse amplius legem corrumpi: Masora corruptissimè admodùm scripta est, vt Iudæi testantur qui in ea instauranda, & purganda laborarunt, scilicet R. Iacob Ben Chaim & Elias Leuita, atque Buxtorfius qui hactenùs Christianorum primus & solus hanc Criticam intellexit. Verba eorum & querelas fusè exhibui: Præterea Masora scripta est stylo, & voca-

bulis difficillimis quæ nulli Iudæi intelligunt vt testatur Elias, & alius Isaacus Iudæo Christianus; Insuper Masorethica scribendi forma erroribus est admodùm obnoxia. V. g. vt notent quandam dictionem bis legi, adhibent literam ב ea mutata in כ, vicies legi notatur, &c. Ergo Masora non potest esse sepes legi, post quam inuentam lex non possit amplius corrumpi. Sed Censor calente irâ semper feruidus ne semel quidem in quid rueret, videre potuit.

Postea Masoram non esse corruptam, omnes illius codices esse sibi simillimos, diligentissimè fuisse conseruatam, longis Ariæ Montani testimoniis probat. Ariam Montanum linguæ Hebraicæ valdè peritum fuisse non dubito, nec ipsius nec cuiuscunque gloriæ detrahere velim. Sed in Masorethica critica nihil prorsus intellexit. Alia multa egregiè sciuit, at non hoc. Iudicet Lector: Nonnulla Biblia scribit Arias eodem loco se vidisse annorum quadringentorum, aut etiam antiquiora: *In quibus omnibus*, inquit, *constantissima, & sibi omninò consentiens Mazzoreth adscripta est, eadem quæ in Venetis, & in Bombergianis codicibus circumfertur*, & alia nonnulla in eundem

eundem finem. De Bombergi priori editione quid iudicauerit Elias Leuita, & post eum Buxtorfius audi referente Buxtorfio initio Rabbinicæ Bibliothecæ, *Hanc editionem vehementer reprehendit Elias in Præfatione libri tertij Masoreth* (scribendum erat tertia libri Masoreth) *propter notas Masorethicas isti editioni ad marginem adiectas, suadens vt nullus ad eas animum apponat. Nam, inquit, qui apposuit eas non potuit discernere inter dexteram aut sinistram suam, quia non fuit Iudæus, & in Masora nihil quidquam intellexit, &c. aliquando bonum posuit in textu & falsum in margine, aliquando contra palpans sicut cæcus in tenebris.* Et in secunda editione Veneta, licet à Iudæo doctissimo adornata sit, plurimos inesse errores affirmat in secunda præfatione. Si de Masora in antiquis Bibliorum codicibus descripta sermo, sit longè est corruptissima, vt testantur, & de hac re conqueruntur Iudæi qui de Masora scripserunt, quorum nonnulla testimonia retulimus cap. 7. Exercitat. 4. Longè sinceriores sunt separati Masoræ codices, sed eiusmodi codices nunquam vidit Arias. Verùm cæco colores omnes sunt ijdem, sic Ariæ Masora in manuscriptis Bibliorum

codicibus scripta, & in excusis, & si vis in separatis codicibus, & vbique est eadem. Audet tamen Arias, qui hac in Critica ne Alphebetarius quidem fuit, sic colligere. *Hæc igitur quicunque attentè, atque æquo animo legerit omnia, intelliget nimirum vel temporum iniuria, vt credere par est, vel Iudæorum inuidia, vt quidam accusare volunt, non tantam calamitatem esse allatam, quantam apud huius Mazzoreth antiquissimæ ignaros exclamari audimus.*

Multos Bibliorum antiquos codices quibus inscripta erat Masora vidisse & legisse Ariam non nego quum id testetur, sed nihil prorsus in ea intellexisse res ipsa demonstrat. Referam huc quod scribit Sixtinus in Antibarbaro lib. 3. ad Psal. 22. *Quod verò asserit* (Arias) *Masorethas asseuerare duas illas lectiones* כארו, *&* כארי, *simul componendas esse, videtur respicere ad notam Masoreticam quæ est ad hanc ipsam vocem*, ב׳ קמצין בתרי לשני, *Duo sunt Kametzata in duabus significationibus. Sequentia verba innuunt locum Isaiæ 38. 13. &c.* Quid in hac doctrina insulsiùs pronuntiari poterat? Ista paruæ Masoræ adnotatio significat, כארי bis legi cum Kamets, sic כָּאֲרִי, in duabus significationibus, hoc est

aliud ſignificare in altero loco quàm in iſto. Arias ignorat in dialecto Maſorethica קמצין ſignificare puncto Kamets notata, & בתרי לשני, diuerſas ſignificationes; Deinde verba ſequentia, שויתי עד בקר, eſſe notam verſus in quo alter locus reperitur, Quod eſt, Maſorethicæ doctrinæ prima omnium elementa ignorare. Eadem & potior ratio Reuchlini quem citat Cenſor: Nam Reuchlino Critica Maſorethica tantùm fama & Iudæorum commendatione cognita erat. Sed Ariæ Keri Vchetib cognitum erat, quod Maſoræ tantilla pars eſt, verùm vtiliſſima. Hæc teſtimonia exſcripſit Cenſor è Buxtorfio cap. 20. Commentarij Maſorethici: At excuſandus Buxtorfius qui hæc & alia multa teſtimonia collegit, vt Lector virorum Hebraicè doctiſſimorum autoritate perſuaſus artificium Maſorethicum in quo addiſcendo plurimùm inſudauerat, & quod explicare aggrediebatur, magni faceret.

ANIMADVERSIONIS

In Censuram cap. octaui Exercit. quartæ pars prima, in qua varietatum in Hebræo textu allegatarum scopus explicatur.

NVsquam magis pueriliter triumphat Censor quàm in capitis 8. examine. Laruata triumphalia reteximus in abstersione tertiæ calumniæ: multa tamen supersunt animaduersione digna, quæ doctrinæ causa in varias partes distribuimus. Quod ad primam attinet, res ita se habet. Propositum erat nobis eo capite agere aduersus eos qui negant post inuentam Masoram, vllam vel vnius literulæ mutationem in codices Iudaicos irrepere potuisse; in qua sententia sunt antiquiores Hæretici, & recentiorum plerique, plurimi quoque Iudæi, quorum vnus est Ioseph Albo quem ex Buxtorfio fusè hîc citat Censor. Contra hanc sententiam acturus ex sola Genesi duodecim exempla colligo in quibus literarum aut dictionum varietates deprehendit, & adnotauit Masoræ Instaurator, quas libris correctis niti & probari testatur. Deinde capite nono disputationem con-

cludo demonstratione duorum versuum, qui apud Iosue in plerisque Iudæorum codicibus expuncti sunt. Hinc necessariò & euidentissimè colligitur falsum esse quod illi asserunt, in codices Hebræos post Masoram nullam omninò mutationem incidere potuisse.

Primum exemplum petitur ex Genes. 19. 13. vbi scribitur את המקום alij libri habent אל, Regerit, *Quid ad sensum interest?* Hoc non quæritur, sed an litera sit mutata: En tau in lamed mutata. Deinde probat ex Ieremiæ 4. 23. אל sumi pro את. Postea subijcit, *Si nescis forte, sollicitare hîc Lexicon ne pudeat. Quod si fecisses interdum, non ita ineptè quadam ex Hebræo reddidisses.* Lexica sollicitare mihi quàm sæpissimè necessarium fuit, qui in Exercitationibus Samariticis & Biblicis in materia hactenus intentata, & plerumque incognita, tot testimonia ex diuersissimis autoribus Hebræis refero. Istius solicitationis nec me pudet, nec vnquam puduit. Eo sum animo vt Musarum ianuas reseratas semper offendere malim quàm obseratas. Ne difficultatum obruar Oceano lubens quandocunque possum nato cum cortice; Imò si possem cum Comico, scirpeam induerem

ratem. Verum Censor cuius longa ætas & experientia membra animumque durauerunt, his adminiculis non eget.

Addit quædam me ex Hebræo ineptè reddidisse. Non inficior; ideo non semel Lectorem monui, verba Hebræa me referre, & verbo tenus me interpretari vt interpretatione mea adiutus me faciliùs errantem corrigere possit. Sed tam grauis Censor, & linguæ Hebraicæ, vt apud suos se indigetat, Imperator, adnotare debuerat nonnullæ prauæ interpretationis loca. Sanè longè hoc vtilius Lectori fuisset quàm puerilia ista adnotamenta, אל aliquando pro את sumi, תהי, explicandum esse, *fuit*, atque aliud simile vnum adhuc aut alterum infantile monitum quæ vt ignorantiæ meæ documenta ostentat & traducit, ô grauissime Censor,

Infanti melimela dato fatuasq; mariscas.
Ista viris non sapiunt.

Verùm quid hîc opus erat mihi lexica sollicitare, vt ignorantiam meam instruerem, cum neque de significatione τοῦ, אל, neque τῶ את, agatur, sed de dictionis varietate siue idem significet siue diuersum. Quanquam Censor perperam exemplo suo ex Ieremiæ 4. v. 23. me docet. Nihil

enim cogit ibi אל pro את sumere. Sæpissimè enim ראה iungitur cum præpositione אל, atque etiam cum non significat apparere, vt Genes. 46. 29. Poterat multò melius me docere ex v. 7. Psal. 2. Præterea euidenter falsum assumit Censor cum scribit eo loco Genes. 19. 13. ad sensum nihil interesse siue legas את siue אל. Nam אל sæpius significat, *secus, iuxta*. Itaque si non obstant textus circumstantiæ non significatur Deus locum istum deleturus, sed quæ sunt circa locum istum. Denique varietates illas non attuli vt eorum qui eas collegerunt diligentiam aut fidem culparem, imò vt laudarem. Eorum sanè laudanda fides qui librorum suorum vitia non tacuerunt; & diligentia, qui ea variorum librorum comparatione collegerunt.

Animadversionis

In Censuram cap. octaui Exercitat. IV. Pars secunda, in qua docetur quantam præ cæteris linguis vnius literæ mutatio sensus varietatem in linguam Hebræam inferat.

SEcundus locus est, in vulgato textu scribi ולאמים in aliis codicibus abesse jod. Hîc suo more mirificè exultat Cen-

ſor, & cachinnatur, tandemque addit, me eadem de cauſa falſi Iudæos accuſare, ac ſi quis eiuſdem criminis alicui dicam diceret, eò quòd Gallicè forſan in archetypo ſcriptum eſſet *eſteindre*, & in ectypo ſcriberetur *éteindre*. *Deinde* exclamat, *Atqui non maioris, imò minoris momenti ſunt duodecim illæ variæ lectiones, vel ſi mauis immanes deprauationes quas ex Geneſi notas. Argue me ſi mentior. Arguant me tot huius rei teſtes, quotquot primæ linguæ Hebraicæ rudimenta didicerunt.* Arguam ſanè te, & te arguent quotquot prima linguæ Hebraicæ rudimenta didicerunt. Sed antea, iterum monebo Lectorem me neque hîc neque alibi vnquam Iudæos falſi accuſaſſe, quod olim atque etiam nunc; ſemel & bis feciſſe fateris: Deinde nunquam de immanitate tribuenda deprauationibus quas adnotata cogitaſſe.

Vt Lector Gallicæ linguæ ignarus quid exemplo ſuo, Cenſor ſibi velit, intelligat verbis Latinis ſcriptionem variantibus id docebo. Idem eſt igitur Gallis, *éteindre*, *eſteindre*, quod Latinis, adſiſtere, aſſiſtere, adſtipulari, aſtipulari, adſtare, aſtare, inreligiosè, irreligiosè, & cætera eiuſmodi quæ ſatis multa ſunt, & à Grammaticis adno-

tantur, aut si mauis, annotantur. Scribe igitur, adstare, vel astare, &c. eadem est omninò significatio quidquid antecedat vel sequatur, nec vnquam interpretaberis aliter *adstare*, siue solitarium, siue coniunctum quàm, *astare*. Videamus an minoris momenti sint varietates à nobis adnotatæ. Prima אל, pro את. Si consulantur lexica docebunt אל, significare, ad, apud, secus, iuxta, versus, contra, super, in, cum, sed; את, nunquam significat, secus, iuxta, versus, contra, super, in. Secunda varietas ולאמים & ולאמם, prior dictio nihil aliud significat quàm, *Et populis*, sed posterior dictio, propriè significat, *& matri eorum*: vel *& ancillæ eorum*, vel, *& cubitui eorum*. Sed in eo Genesis loco vtraque dictio nomen est proprium, Masorethis *Leummim*, S. Hieronymo, *Loomim*. Si verò dictiones diuidas, ex priori facies ולא מים, *& non sunt aquæ*, vel, *& non à mari*: ex posteriori verò nihil. Idem omnibus dictionibus pari data mutatione contingit. An idem præstabis Lector in dictionibus astare, adstare, inreligiosè, irreligiosè, &c. Argue me, Lector, si mentior.

ANIMADVERSIONIS

In Censuram cap. octaui Exercitat. quartæ, Pars tertia, in qua de mendis textus Hebræi quæ solœcismum continent.

IN sextæ varietatis examine Thrasonis more insultat mihi & pæana canit. Retuli ex nota Masorethica Genes. 26. v. 25. vbi legitur אהלה, nonnullos libros correctos habere, אהלו, Dixique in textu Hebræo vt nunc vulgo legitur crassum esse solœcismum qui teste Masora quater in Genesi committitur. Hæc verba Censoris hominis biliosi stomachum ita commouerunt vt choleram continere non potuerit. *Tum equidem*, inquit, *os tuum videre nimium vellem cum istud scriberes, Morine, Audere te, te inquam perpetuum tot codicum consensum arguere solœcismorum? Vbi & quo præceptore artem Hebraicæ linguæ didicisti, vt de solœcismo iudicium ferre possis? &c.* Ne Censor iterum stomachabundus grauitatis obliuiscatur, te, Lector, compellabo. Num in omni lingua eiusmodi phrases crassi essent solœcismi, *vir illa, mulier ille.* Atqui, ויט שם אהלה phrasis est eiusmodi, ה enim est pronomen affixum

fœminini generis, sed refertur ad Abraham, *& tetendit ibi tabernaculum αὐτῆς*, solœcismus procul dubio est, & legendum אהלו, αὐτοῦ, vt Genes. 31. 25. c. 33. 19. aliisque omnibus in locis fieri solet. Nugæ cachinni, scommata effundi quidem possunt, sed his nunquam efficietur, vt phrasis ista in omni dialecto non sit crassus solœcismus. Et si hac in causa os meum videret Censor, obmutesceret.

Causatur Censor codicum perpetuum consensum. Primum obstat perpetuò huic codicum consensui nota Masorethica à me allata: Cuius autor testatur se codices correctos vidisse in quibus אהלו scribebatur; deinde Masora ipsa, cuius libri vt idem adnotat in hac dictione per ה in fine scribenda diuisi sunt. Consulatur igitur Masora, docebit quinquies cum ה scribi, & referri in Sidra Noë. Adeatur Sidra Noë; ibi scribitur, ד׳ כתיב ה וכו׳ *Quatuor scribuntur cum he quorum signa sunt, &c.* Ea autem signa refert quæ arguunt c. 9. Genes. v. 21. c. 12. v. 8. C. 13. v. 3. & cap. 35. v. 21. Locum de quo nunc agimus præterit. Quid verò Masora parua? In quatuor illis locis ad dictionem אהלה adnotat quater sic scribi; sed ad cap. 26. v. 25. quod nunc

vertitur, nihil adnotat. R. Menahem in editionum Venetarum correctorio quod אור תורה inſcripſit, & ex comparatione cum decem antiquiſſimis codicibus & alijs Iudæorum correctorijs collegit, ſimpliciter pronuntiat ad hunc locum, אהלו בואו לא בהא, dictio, אהלו *cum vau non cum he.* R. quoque Nathan in Concordantijs ad dictiones אהל & נטה licet alia loca referat cum dictione אהלה, iſtum tamen ſemper cum vau; quibus omnibus conſentit codex Hebræo-Samaritanus. Eſt igitur manifeſta menda in textum illapſa qua craſſus ſolœciſmus conficitur. Aliorum quatuor locorum adnotatorum, quod ad mendam & ſolœciſmum, eadem eſt ratio; in eo tamen differunt quod quatuor illæ mendæ à Maſorethis adnotatæ omnes qui nobis famâ cogniti ſunt codices inuaſerunt, ſed iſta nondum maiorem partem.

Quid in verbis noſtris Cenſoris animum tantoperè offendit? An quod in textu Hebræo ſolœciſmos ineſſe dixerim? Num Iudæorum maxima pars id profitetur cum variarum Lectionum quas Maſorethæ adnotarunt, rationes ſcrutantur, vt ſupra videre eſt ex ſeptem aut octo Rabbinis alle-

gatis? Perturbationes, barbarismos, phrases genio linguæ contrarias à Masorethis ad marginem castigatas & restitutas fatentur. Id de vniuerso Keri Vchetib pronuntiauit Abarbinel, In quo bis peccauit primùm quod barbariem & solœcismos vniuerso Keri Vchetib attribuit, cum sæpe id falsum sit. Sed potissimum & grande peccatum quod sic perperam scripsisse nolit Iudaicos Scribas, sed ipsos Prophetas linguæ ignorantiâ laborantes, & postea Masorethas dictiones illas iuxta linguæ genium ad marginem restituisse. Iudæorum autem nullus Abarbineli succenset quòd nonnunquam textui inesse barbarismos, solœcismos, dictiones insolentes, & à genio linguæ alienas scripserit. Num Catholici qui huius rei cognitionem habent idem profitentur? Num hoc tempore plerique Hæretici? vide quæ supra ex Amama & aliis retulimus. Quid? ipse Censor idem dicere non reformidat Censura in caput 5. n. 8. sed quid opus & rationibus & autoritatibus cum plerique barbarismi & solœcismi admodum euidenter se prodant, quos ad marginem Masorethæ castigarunt.

An ipsum offendit quod iis in locis solœcismos esse diximus cum Masorethæ τὸ

Keri ad marginem non adnotauerint? Hanc rationem Censor non vidit, nec in Critica Masorethica adeo profecerat, vt eam vel subodorari posset. Respondeo tamen huius critices perito qui sic obijcere potest. Primùm in Masora excusa me quidem non reperire collectionem earum dictionum quæ scriptam habent he, cum scribi debeant per vau cholem; reperire quidem catalogum dictionum quæ scribuntur per he, & leguntur per vau schurek: refertur c. 4. v. 17. Lamentationum. Sed illa Masora & hæc & alia multa præterit. Deinde magna Biblia Veneta sæpe Keri marginale dictionibus prorsus similibus ijs quas adnotauimus, affigunt: v. g. Exod. 22. v. 26. כסותה, tegumentum αὐτῆς, restituitur כסותו, tegumentum αὐτȣ̃, vt scribitur eodem versu שמלתו לעורו codex Samarit. habet vt restituit Masoretha. Sic Exod. 32. 17. ברעה in vociferatione αὐτῆς, restituitur ברעו, αὐτοῦ, Samarit. ברעה vt Iudaicus, sed Interpres explicat aliter בבישה, *in malum*. Itaque iuxta illum he non est pronomen, sed ad dictionis formam pertinet: Eandem castigationem adnotauit Arias in Bibliis interlinearibus. Sic Leuit. 23. 13. ונסכה, libamen

αὐτῆς restituitur ונסכו libamen αὐτοῦ, Samaritanus habet vt est à Masoretha restitutum, ונסכו; sic requirunt præcedentia, refertur enim ad כבש agnum, & eodem genere præcesserunt שנתו ומנחתו. Plurimæ sunt aliæ per vniuersam scripturam eiusdem generis Masorethicæ castigationes. Cum igitur omnium fere tam Iudæorum antiquorum quàm Christianorum consensu istæ marginales criticæ sint mendarum in textu castigationes, genusque fœmininum quod hîc est in textu ad marginem mutetur in masculinum, quid aliud est locis adnotatis marginalis restitutio quàm solœcismi castigatio?

Sed occurrit Censor, *An tibi quoque solœcismus videtur Exod. 32. v. 25.* פרעה, *nudauerat eum. Numer. 23. 8.* קבה *maledixit eum, Ps. 42. 9.* שירה *canticum eius.* Vicissim interrogo, an tibi solœcismus videtur, si quis de viro dicat, *nudauerat eam, maledixit eam?* Respondeo Masoretham qui illis locis puncta adscripsit solœcismum iudicasse, ideo nulla habita ratione τοῦ he punctauit veluti scriptum fuisset פרעו cum vau pronomine masculino, sic פְּרָעֹה, vt fieri solet in Keri Vchetib, vbi punctatio non fit analoga literis

textus, ſed literis in margine reſtitutis; Aliàs punctandum fuiſſet פְּרָעָה *nudauit eam.* En Hebræo-Samaritanus codex habet קבו, פרעו, analogicè ad punctationem Iudaicam. Deinde reſpondeo ſi literas tantùm ſpectemus non autem punctationem, quæ Maſoretharum arbitrio inſcripta eſt, exempla iſta ad rem nihil facere, neque neceſſarium eſſe vau pro he legere, nam vtrumque textui conuenit; Subauditur enim dictio, עם, populus, quæ Hebraicè communis eſt generis, licet maſculini multò ſæpiùs. Quod ad dictionem שירה, nihil cogit vt ה ſit affixum, ſed commodè שירה canticum legi poteſt, vt alibi, & fauet ſequens dictio תפילה ſine affixo. Septuaginta autem iuxta S. Hieronymi correctionem procul dubio legerunt שירו, vt & Aquila, ſed Symmachus שירה, vertit enim, καὶ κατὰ νύκτα ᾠδὴ παρ' αὐτοῦ, hoc eſt שירה עמו. Hinc manifeſtum eſt duplicem olim fuiſſe lectionem שירה, & שירו.

Poſt theatricas exclamationes Cenſori parùm conuenientes tandem pronuntiat ſupercilio ſanè cenſorio, me ignorare literas אהוי eſſe inuicem permutabiles, *quod*, inquit, *tyrunculi omnes ſciunt.* Ergone licebit Cenſor ſcribendo aut loquendo genera,

nera, personasque mutare? Cum Prophetæ scribere vellent נפשי, *animam meam*, scripserunt נפשו *animam eius*, cum vellent dicere נפשו, *animam* αὐτȣ̃, dixerunt נפשה *animam* αὐτῆς, &c. Quamobrem Masorethæ quoties eiusmodi solœcismos aut barbarismos deprehenderunt aut marte suo, aut etiam codicum ope eos ad marginem castigarunt, textumque non habita ratione ad literas textus, ne perperam legeretur, sed ad marginalem correctionem punctarunt? Non eram nescius literas אהוי permutari, sed hoc fit in nominum formatione, in verborum & nominum coniugationibus & declinationibus vt docent non modo Iudæorum, sed etiam Græcorum & Latinorum, atque omnium Gentium Grammatici de peculiaribus suis vocalibus & diphtongis. Nonnunquam sed rarò contingit vt in eiusmodi formationibus præter ordinem vna pro alia substituatur quas permutationes Grammatici, & Lexicographi diligenter adnotant; sed his Masorethæ suum Keri non inusserunt. Quam Grammaticam edoctus Censor noster textus mendas confundit cum ea literarum mutatione quæ linguæ ex proprio genio, aut ex

quadam ἐπιρροκλήσει Grammatica conuenit?

Sperabas, inquit, *fortè me causaturum hîc mysteria, &c.* quæ multis persequitur. Nihil te causaturum sperabam, quia cum ista scriberem nihil prorsus de te cogitabam, nec tunc libri tui vel tegumentum conspexeram.

Hîc & alijs in locis Censor præfationem quam editioni 70 Interpretum præposui solœcismorum accusat. *Præfatio illa tua in Septuag. Interpretum Biblia, quæ vndique solæcismis seu barbarismis scatet, declarat quantus solæcismorum sis artifex. Solæcissare igitur per vos liceat, non de solæcis iudicare.* Facit indignatio versum, inquit Iuuenalis. Censor tamen noster licet de me indignabundus semper loquatur, turpemque solœcismorum messem ex præfatione mea se demessurum polliceatur, nullum tamen postquam diu parturijt, enixus est. Res ita se habuit. Cum legi & audiui stomachosissimi Grammaticuli in aula sua sese tam iuueniliter iactantis ventosas illas minas ϗ ψωλόπυγα, nihil aliud quàm subrisi. Ille verò iram despumans rem seriò agere, præfationem meam legere, relegere, dispungere, quæque verba in inuidiam trahere. Edit

tandem grauissimus ille Censor, ὑπηνέμιον partum, foliola duo, in quibus solœcismum nullum, barbarismum vnicum notauit. *Cui*, inquit, *persuadebit* ותהו יראתם *Hebraicè dici, pro*, & in vanum timuistis. *Procul à sermone Hebraico Esaiæ Prophetæ præsertim, qui totus venustus est atque elegans, tales barbarismi.* Cui persuadebo Censor? Id non modo Hebraicè sed etiam eleganter dici doctis omnibus & indoctis, tibique ipsi Censor persuadebo. Isaias cuius sermo semper est elegans bis in eodem capite vtitur eadem phrasi, c. 45. v. 18. לא תהו בראה, *Non in vanum creauit eam*, & v. 19. תהו בקשוני, *in vanum quæritis me*. Vides Lector *Quid dignum tanto tulit hic promissor hiatu?* Nihil verò aliud à me feret quàm interrogationis qua mecum expostulauit, redhibitionem, *Vbi & quo præceptore artem Hebraicæ linguæ didicisti, vt de solæcismis & barbarismis iudicium ferre possis?* Qui plura de illa nostra textus Hebraici hoc loco restitutione scire cupit, legat quæ diximus c. 12. prioris partis diatribes nostræ aduersùs Anglobatauos.

Verùm excusandus Censor; quisquis enim alios sibi similes facilè fingit, & difficile credit alterum id esse consecutum

quod ipse assequi non potest. Fatetur insignem se fuisse solœcismorum & barbarismorum artificem cum olim nonnulla in Psalmis Hebræis secundum Vulgatam restituere tentaret, *Pudebat*, inquit pag. 4. *solœcismorum & barbarismorum quos meis coniecturis ac mutationibus in librum alioquin elegantißimum inuexeram.* Quum lapsu temporis & amicorum admonitione deprehenderet industriam suam infeliciter succedere, in contrarium vitium præceps cucurrit.

ANIMADVERSIONIS

In Censuram cap. 8. Exercit. IV. Pars quarta, in qua exemplis docetur in quem finem variæ istæ lectiones enarrentur.

AD locum octauũ respondet, נמהלים significare, *circumcisos*, petitque cur reddiderim, *permisti*. Hoc non agitur, sed varietatem in codicibus Hebræis inesse hinc demonstratur, nam textus Vulgatus habet נמלים, nota autem Masorethica monet in libris correctis legi נמהלים. Cur autem reddiderim, *permisti*, Ratio est in promptu. Verbum מהל in significatione circumcisionis nusquam reperitur in scriptura, sed semel tantùm Isaiæ 1. 22. in si-

gnificatione permiſtionis, vt teſtatur R. Kimhi in hac dictione, iſtamque ſignificationem probat ex lingua Arabica, in qua idem ſignificat. Sequuntur autem R. Kimhi interpretationem alij Lexicographi. Sed vt illi aſſentiar plurimùm me mouent antiqui Interpretes qui conſimiliter reddunt, 70. S. Hieronymus, & Symmachus. Itaque Biblicam ſignificationem omnibus antiquis & recentioribus Interpretibus & Commentatoribus Chriſtianis & Iudæis acceptam ſecutus ſum. Ais loco non conuenire; nihil ad rem. Quis enim præſtet omnes librorum varietates textui conuenire. Id tantum contendo Iudæis autoribus varietatem eſſe. Doces me מהל apud Rabbinos eſſe circumcidere. Quæſtio non vertitur de interpretatione textus Rabbinici ſed Biblici. Deinde tu Cenſor πλωχαλάζων importunus ſemper me, Lectoremque doces ea quæ vel pueris perſpicua ſunt, vel pueris Lexica canunt.

In examine noni loci Cenſoris mens ab ipſius corpore aberat. *Quaſi verò*, inquit, *ad ſenſum aliquid referat, ſcribatur ſub* ח *ſcheua ſimplex, an compoſitum.* De punctis non agitur, ſed de litera vau quæ in quibuſdam codicibus ab illa dictione abeſt, eodem

cap. v. 25. In textu enim scribitur, בהיותם, alij libri habent בחיתם.

Quæret forsan Censor in quem finem ista? Id sæpissimè declarauimus; vno tamen aut altero exemplo propositum nostrum hîc iterum explicabimus. Volunt Hæretici omnes, & quod quis stupere potest, etiam ij qui plurimas mendas textum Hebræum inuasisse fatentur, Vulgatam Ecclesiæ translationem ad Hebræi textus normam qualis nunc extat, semper exigere. At Iudæis solis testibus (eos enim solos hac in causa interpello) mendæ, errores, παραγράμματα, literarum, dictionumque immutationes, puncta missa facio, bis mille paulò plus minúsve in textum Hebręum irrepserunt. Numquid igitur solo naturalis luminis dictamine ridicula & fatua est ista consequentia: Aliter habet textus Hebræus quàm Vulgata, Ergo error est in Vulgata, vel Interpretis, vel Amanuensis, cum differentiæ istius culpa posthabitis circumstantiis ex æquo saltem & Vulgatæ & textui Hebræo attribui debeat. Si puri nunc vt olim fontes fluerent probabilissimum esset argumentum, & ferè semper necessarium. At post tot mendas à Iudæis in textu suo confessas, quis contra Vul-

gatam præstare poterit ex solo vtriusque textus discrimine textum Hebræum tot locis temeratum hoc loco qui controuertitur, esse intemeratum.

Exempli causa Genes. 3. v. 15. S. Hieronym. vertit, *ipsa conteret caput tuum*. Quãtas ea de re Hæretici tragœdias excitant, eo quòd Hebraicè scribatur, הוא, & Masorethæ punctum scurek inscripserint. Ipsos interrogo, Num sciebat S. Hieronymus, הוא significare, *ipse*, vel, *ipsum*, & היא esse istius pronominis fœmininum? Cum igitur vertit *ipsa*, necessariò colligendum in textu suo legisse היא, non autem, הוא, vt nunc legitur. Si dictionum ἑκατοντάδας notarunt Masorethæ in quibus jod scribitur modo initio dictionis, modo medio, modo fine, & illis in locis legendum vau; vel è contra, vau scribitur, & legendum adnotant jod, Quid miraris hoc loco contigisse, quod millies alibi factum fuisse confiteris? Credis Masorethis de mille mendis testimonium perhibentibus, non credes Sancto Hieronymo translatione sua Lectionem sui codicis indicanti.

Obijciet Hæreticus hanc varietatem Masorethas non adnotasse: Quasi verò omnes adnotauerint, codicesque omnium

nationum penes se habuerint? Quis adeo demens est, vt id affirmare ausit? Obijciet probabilius, Verbum sequitur Masculini generis, ergo legendum, הוא, non היא, Eadem chorda aberratur. Scriptum erat in S. Hieronymi codice, תשופך, non vt Iudæorum codices nunc exhibent ישופך. Quam multas lectiones Masorethæ adnotant longè dissimiliores, אשר, אשב; זה, נה; לבז, לבג; עליכם, עליהם, &c. permulta quibus non continetur tantùm sub eadem significatione personæ varietas, sed dictio, dictionisque sensus diuersissimus. Quidni igitur tanti Interpretis autoritate freti id de eo affirmabimus, quod omnes homines de quouis paulò celebri interprete solent prædicare? Quare rem Hebraicè intellectu facilem sic vertit, nisi aliter in suo codice legisset quàm nunc in Iudaicis legitur?

Non est tamen omnino necesse vt Interpres legerit תשופך quum apud Hebræos non infrequenter vsurpentur personarum enallagæ. Minus adhuc necesse est eum legisse היא pro, הוא, vt verteret, *ipsa*. Nam natiua & consueta in lege scriptio istius pronominis vt sit fœmininum est הוא non היא, vt nos admonent Maso-

rethæ in Masora magna in litera ה ad dictionem היא; semperque הוא fœmininum sic scribitur in textu Mosis Iudaico locis vndecim exceptis quæ à Masorethis enumerantur ad cap. 38. Genes. v. 25. Hoc citarunt quidam Hæretici, sed perperam & contrario sensu. Cum igitur præcedat pronomen fœmininum זרעה, *semen* αὐτῆς, meritò ex natiua & consueta textus Iudaici scriptione legit Interpres noster pronomen sequens fœminino genere, referens illud ad magis vicinam personam. Quod ad verbum attinet, vel legit, תשופך, vel credidit esse enallagen.

Similiter Genes. 4. v. 7. secundum 70. sic Deus alloquitur Cain, *Nonne si rectè offeras, non autem rectè distribuas, peccasti. Quiesce; ad te conuersio eius, & tu principatum habebis ipsius.* In hæc hæretici multis inuehuntur: Alij verò solliciti sunt, vnde hæc sumpserint 70? Facilis responsio, In eorum textu aderat lamed dictioni שאת, quæ nunc abest magna cum elegantiæ imminutione: deinde pro dictione לפתח, scribebatur לפתת, mutato ח in ת. Sic igitur vertendo legebant & eleganter, הֲלוֹא אִם תֵּיטִיב לְשְׂאֵת וְאִם לֹא תֵיטִיב לְפַתְּ חַטָּאת רֹבֵץ Cætera vt nunc iacent. Dictionem autem,

תשוקתו, quæ verti solet, *appetitus*, rectè etiam redditur, conuersio; radices enim שוק, & שקק, commiscent tempora, & vtrumque ex æquo significant, appetere, scilicet, & discurrere, motare se, eo quod forsan motus & conuersionis causa sit cupiditas. Vtramque interpretationem coniunxit Abenesdra. Sanctus Hieronymus textum Hebræum à neoterico diuersum non videtur legisse.

Idem est de omnibus aliis varietatibus dicendum, nisi aliæ circumstantiæ, vtpote rei absurditas quemadmodum docet Cassiodorus, ad aliam viam ineundam nos adigat. Si enim testibus omnibus Iudæis mendarũ chiliades, quot autem præterierunt, textũ Iudaicum macularũt, quo iure translationes Ecclesiasticæ ad ipsius normam exigentur. Imò quoties de translationis integritate constabit, toties, si repugnet omnino translationi textus Hebræus, ex translatione meritissimè corrigetur, eritque tum correctionis sensus, si non singula verba, textui Hebræo conformis, qui tempore S. Hieronymi aut 70 Interp. vulgatus erat, vt passim videmus ea quæ in N. T. Latino variant à neoterico Græco, antiquissimorum codicum Græcorum autoritate confirmari.

ANIMADVERSIONIS

In Censuram cap. 8. Exercitat. quartæ, pars quinta, in qua de differentia quam instituerunt Masorethæ inter varias lectiones, siue Keri Vchetib, & dictiones plenas deficientesque; atque an literæ punctis permutentur.

IN decimi loci examine plurimùm excandescit Censor. Scripseram Gen. 36. v. 7. רכושם, plenè scribi, at in aliis libris defectiuè, hoc est sine vau. At Censor, *Quid hîc probas, Morine, aliud quam te prorsus ignarum rudimentorum Hebraicæ linguæ, ac strenuum nugatorem, vt & alias. Disce igitur vau & ·· facile inuicem permutari, &c.* Respondeo primùm non hîc quæri an facilè permutentur vau & kibbuts. Detur hoc, quod neque negaui, neque asserui, neque erat necesse de hoc vel vllum verbum facere: Ideo hinc ignorantiam meam in lingua Hebræa plusquam puerilem non potuisti colligere. Detur inquam hoc, Num hac assertione vel tantillùm argumenti mei vires debilitantur? Hoc vnum mihi propositum est demonstrare ex ista varietatum collectione,

Iudæos non ita ſacros ſuos codices inuiolatos conſeruaſſe, ſicut Hæretici antiquiores omnes & recentiorum magna pars nugantur, vt ne literula quidem ab iis perierit. En Iudaicorum codicum alij legunt רבושם, alij רבשם, vt non ſolùm monet marginalis illa nota, ſed etiam R. Nathan in Concordantiis ad vocem רבש. Ergo falſiſſima illorum aſſertio; Et conſequenter malignè & procaciter admodum Vulgatam erroris arguunt vbicunque cum neoterico textu Hebræo non conuenit, cum magna pars errorum quos notant literulæ vnius aut alterius repoſitione in gratiam cum neoterico Iudæorum textu redire poſſit. Culpandus igitur nunc potius Hebræus textus quàm vulgata verſio, aut ſaltem, vt impiè faciunt, non ſemper culpanda verſio Catholica. Quid ad hoc argumentum debilitandum præſtat dicere, Vau & Kibbuts inuicem permutari? Deinde quis κibbuts ſubſtituit cum vau abeſſe videret? Quid ad S. Hieronymi tempora, aut Talmudiſtarum ſeculum quo prorſus erat vel de nomine incognitum Kibbuts, & vniuerſa punctorum λεπτολογία, iſta τοῦ Vau & Kibbuts permutatio?

Scribit ad ſenſum nihil attinere, legatur רבושם cum vau necne. Quid tum? Periit litera hæc in iſta dictione quæ ſenſum non mutat, expungi poteſt, alia quæ ſenſum omnino peruertet. Ea eſt enim mendarum fortuitarum natura vt ſenſum aliquando vitient, aliquando magis efficacem reddant, aliquando ſint ἀδιάφοραι.

Præterea ad ſenſum nihil attinere pernego. Vt hoc intelligas Lector de Maſoretharum opere paucula breuiter enarro. Duo præſtiterunt primi, vt opinor, Maſorethæ quæ ſunt vtiliſſima: Textum ſacrum recenſuerunt, mendas, errores, barbariſmos, ſolœciſmos caſtigarũt, & caſtigationes ad marginẽ adnotarũt, quę fere omnes ſenſum immutãt. Caſtigationes eiuſmodi vltra mille & quingentas aut mille ſexcentas collegimus. Aliud ex ſe quidem vtiliſſimum præſtiterunt, ſed quod propter vitioſam & perturbatam Maſoræ ſcriptionem innumeros errores in textum ſacrum inuehere poſſet, ſi quis in eo recenſendo Maſoræ potiſſimùm incumberet. Illud eſt dictionum plenarum vel defectiuarum obſeruatio, quoties ſcilicet ſine vau vel jod, vel cum vau vel jod ſcribantur. Vau vel

jod in istis dictionibus absentia sensum necessariò non mutat, semper enim dictio defectiua idem significare potest quod plena. Sed tamen literarum istarum absentia semper reddit dictionem longè pluribus sensibus & interpretationibus obnoxiam. V.g. רכוּשָׁם (Est enim dictio de qua quæstio vertitur istius posterioris generis) nihil aliud significat quàm *opes* seu *facultates eorum*, Idem & רְכֻשָׁם. Sed hoc posterius si punctis aliis legatur plura alia significabit, רְכָשָׁם *acquisiuit eos*, רֹכְשָׁם *acquirens eos*, רֶכְשָׁם *equus*, vel, *currus eorum celer*. Idem est de cæteris iudicium. Falsum est igitur ad sensum non referre vtro modo scribatur illa dictio, cum tibi liceat semper ex antecedentibus & consequentibus iudicare quænam istarum variarum significationum textui magis conueniat, & eam amplecti.

Denique quis docuit doctissimum nostrum Grammaticum literas punctis permutari. Literas literis, præsertim literas יהוא, puncta quoque punctis aliquando permutari scribunt Iudæorum Grammatici, sed literas punctis nullus vnquam Grammaticus scripsit, nullus sic locutus est. Num literarum permutationes è genio

linguæ oriuntur? Quæ punctorum cum literis permutatio erat S. Hieronymo, erat Talmudistis καὶ τοῖς Midraschim cognita, apud quos nulla punctorum mentio? Verum quidem est Masorethas & priores Grammaticos ad notandam absentiam radicalis alicuius literæ, vel alterius literæ, aut etiam ה articuli, inscripsisse daghes, aut vocalem breuem insigi solitam produxisse. Sed hæ notæ artificiales sunt, & Grammaticorum industria inuentæ: Verùm literarum permutationes à linguæ natura, & illius vsu quotidiano cum vernacula est, procedunt. Itaque ad literarum permutationes quas obseruant Grammatici nihil spectant. Quid igitur aliud ego facio rudimentorum Hebraicæ linguæ ignarus hæc à Censore si disco, quàm omnibus harum rerum scientibus me deridendum exhibere?

ANIMADVERSIONIS

In Censuram cap. 8. Exercit. quartæ pars sexta, in qua traduntur intimæ rationes defectus & plenitudinis dictionum quæ à Masorethis singulis paginis creberrimè adnotantur.

VErùm si præceptiones Grammaticas penitùs inspiciamus & linguæ ge-

nium à Masorethis intimè perspectum, quid poterat magis indoctum grandiori supercilio proferri? Agitur hîc de dictionum quas Masorethæ, & ante eos Talmudistæ ϗ τῶν Midraschim autores plenas & defectiuas vocarunt, natura explicanda. Vno verbo Censor, *Disce vau & Kibbuts facilè inuicem permutari, &c.* Longum esset, & à proposito nostro maximè alienum hoc mysterium Masorethicum quod omnes Iudæorum Grammatici, vno excepto Elia, ausi non sunt attingere, hîc integrè explicare. Pauca tantùm hîc delibabimus quibus fiet manifestum prima istius artis rudimenta Censori ne fama quidem cognita fuisse. Axioma est Grammaticorum Iudaicorum omnes motiones seu vocales magnas habere necessariò post se quiescentem, vel expressam vel latentem: post Kamets scilicet in medio dictionis quiescit aleph; in fine, aleph vel he: post tsere aut chirik jod; post cholem aut scurek vau. Ideo literas istas præsertim aleph, vau, iod, vocant matres pronuntiationis, protractionis, & sermonis. Ita liber Ietsiræ, Abenesdra in libro צחות, seu elegantiæ, Commentarius in Grammaticam Iechuthielis dictus לוית חן, qui ibi notat literas יהוא

eundem

eundem numerum præſtare quem tetragrammaton, ſcilicet 22, quot ſunt in vniuerſum literæ: Kimhi initio tractatus de nominibus, Elias in capitibus ſuis Cantic. 2. Aben Iechaie in libro לשון למודי׳ c.4. Arkeualti & alij. Vocem deficientem Maſorethæ vocant cum poſt motionem magnam non exprimitur quieſcens ſed latet; plenam cum exprimitur & apparet.

Aleph autem vix vnquam poſt Kamets exprimitur, niſi cum radicalis eſt, aut formatiua dictionis: ſed tum ad propoſitum noſtrum non pertinet, ſicut nec aliæ literæ quieſcentes. Cum autem exprimitur, vt 2. Samuël. 11. v. 1. המלאכים, *reges*, Oſeæ 10. v. 14. קאם, &c. non notant Maſorethæ, plena eſt, ſed, לא מפקין א, *non pronuntiatur aleph*, vel, יתיר א, *abundat Aleph.* Nec cum deficit, notant חסר deficiens eſt dictio, quia ſemper fere deficit. Eadem ratio τῆς ה, in fine, nam quieſcentis miniſterium illi tantùm tribuunt in fine dictionum, nunquam in medio, aut principio. Itaque propter τῶν vau aut jod præſentiam vel abſentiam dictiones Maſorethis tantùm dicuntur plenæ vel deficientes. Neque deficientes aut plenæ dicuntur ſemper, ſed tantùm cum literæ iſtæ quieſ-

cunt intra dictionem, vau ſcilicet poſt cholem aut ſchurek, jod poſt chirik aut tſere. Iſtam autem regulam obſeruant Maſorethæ, vt quando plenæ plures ſunt defectiuis numerent deficientes non plenas; Cum autem deficientes plures ſunt plenis numerent plenas non deficientes. Itaque non ſemper chirik aut cholem abſente vau vel jod dicendæ ſunt vocales breues: Non enim vocalis longa in breuem mutatur vnquam propter abſentiam literæ quieſcentis, ſiue protractionis; aliàs Kamets vix vnquam eſſet vocalis longa, ſed propter regimen aut affixa. Cum igitur abſunt à dictione vau vel jod quod non tantùm ex genio linguæ, ſed plerumq; ex Scribarum negligentia contingit, notantque Maſorethæ, deficiens eſt dictio, Chirik illud vel Cholem non ſunt vocales breues, ſed longæ quia poſt eas tum latêre intelliguntur vau vel iod matres pronuntiationis, non ſecus ac Aleph poſt Kamets; & non niſi imperitiſſimè tum diceretur, vau vel iod, vel ſi mauis, vau cholem & vau chirik eſſe permutata cum vocalibus breuibus Cholem & Chirik. Idem eſſet ac ſi diceres Aleph eſſe permutatum cum patah quoties cum kamets non ex-

primitur Aleph.

Eadem est ratio literæ vau cum ei inscribitur punctum quod dicitur schurek. Aliquando enim vau deficit, nec tamen propter istum defectum censenda est litera ista in vocalem breuem mutari, sicut nec vau cholem, nec iod chirik aut tsere. Sed meritò dubitarunt Masorethæ qua figura seu nota defectum istum significarent. Nam punctum istud quod τῷ vau schurek inscribunt sublato vau non erat æquum vt intra literas textus relinqueretur: dictionem enim in duas separasset. Non debuit superscribi, confunderetur enim cum vau cholem; non subscribi, ne idem illi accideret cum iod chirik, non duobus punctis notari, ne crederetur tsere vel scheua. Quid igitur vsurparunt? vocalem breuem eiusdem soni quæ κibbuts dicitur. Hac in causa igitur vau schurek non permutatur cum Kibbuts iuxta mentem Masoretharum: Nam Kibbuts illud nihil aliud est quàm punctum seu vocalis schurek quæ propter absentiam literæ vau in media dictione notari non potuit.

Nunc quæritur quomodo cum sit duplex Kibbuts, vnum quod idem est prorsus cum vau schurek, aliud quod est vocalis

parua, alterum ab altero discerneтur? Hanc tradit regulam Elias in libro Masoreth Hammasoreth, Notum esse ex Grammatica post omnem vocalem paruam daghes sequi aut scheua quiescens. Quoties igitur deprehenditur Kibbuts, & illud sequitur daghes aut scheua quiescens, tum istud Kibbuts est vocalis parua, & ad illud non adnotant Masorethæ vox est defectiua, vt in coniugatione Puhal. At si neutrum sequatur, tum est vocalis longa, & loco vau schurek. Tradit istud exemplum ex Ierem. 14. v. 16. יִהְיוּ מֻשְׁלָכִים בְּחֻצוֹת יְרוּשָׁלַיִם. Prius Kibbuts est vocalis parua, sequitur enim scheua, ideo non traditur חסר, sed posterius est vocalis longa, & super illud traditur, חסר, defectiua est. Sic dictio cuius occasione hæc diximus punctari debet רְכֻשָׁם, & quia nec daghes sequitur nec scheua quiescens, illud Kibbuts notabit vau deficere, & plenè scribi debere. Quia autem plurimi alij libri plenè scribunt רְכוּשָׁם, manifestum est in alterutris libris literam vau periisse; nisi dicere velis cum stultis quibusdam Iudæis & hæreticis Mosen in textu, רכושם, scripsisse, in margine verò רכשם. Quanquam nec ista solutio satisfacit, nam, רכשם, non est

ad marginem appositum, quia varietas ista Masorethas fugit, & post eos vt cæteræ à nobis adnotatæ, obseruata. Neque si eam obseruassent Masorethæ, ab iis ad marginem restituta fuisset, dictiones enim plenas & deficientes ad marginem numerant non restituunt, sed tātùm τὸ Keri Vchetib.

Hæc est artificij Masorethici ratio præcipua qua vsi sunt illi Iudæi in punctorum suorum inscriptione vt literas vau vel iod in scriptione deficere notarent, quæ tamen in pronuntiatione semper supplentur, V.g. ממלכת, cum est plurale semper pronuntiatur, Mammelacoth siue adsit vau siue absit. Nec vnquam licet sine sacrilegio vau vel iod punctis suis affecta in sacro textu de industria omittere, & cum vocalibus seu punctis suis permutare. In proprio quidem textu vnicuique iuxta linguæ analogiam id licet: Sæpe enim illorum absentiam patitur non modò linguæ Hebraicæ, sed etiam aliarum Orientalium consuetudo. Hæc quidem post Masorethas, verùm ante eas nulla istarum vocalium memoria: Id tantùm commemorabatur, hæc, dictio ter quaterve deficiens est, ter quaterve plena, &c. Qua in re, vt etiam nunc, Iudæorum libri à se inuicem dissentiunt.

ANIMADVERSIONIS

In Censuram cap. 8. Exercit. quartæ pars septima, in qua docetur exemplis quàm multæ textus Hebræi varietates è Masora eruantur, quámque sit periculosum ex ea textum Hebræum corrigere.

ANtequam finiam, Lector, dissensionem longè maiorem tibi exhibebo, quam occasione exempli ab Elia allati deprehendi. Res sic se habet, Scribit בְּחֻצֹת sic punctari & scribi, adnotarique à Masorethis חסר. Id quod citat habetur Ierem. 14.16. eo loco Bibliorum Venetorum Masora textualis, & parua, non modò nihil prorsus adnotant, sed בחוצות plenè scribunt, vt & alia Biblia excusa. Magna Masora in fine Bibliorum sic ad dictionem חצות notat ב׳ כתו׳ כן וסים׳ נמסר בפרש׳ בלק ועש. duo sic scribuntur: *Index eorum traditur in parascha Balak. Vide ibi.* Video, & reperio Numer. 22. v. 39. ad vocem חֻצוֹת adnotatum, ב׳ כֹּבֹ בליש׳ וחצות תשים לך ברמשק, *Duo scribuntur sic in hoc sensu*, reliqua denotant 1. Reg. c. 20. v. 34. vbi & וחצות, & ista verba leguntur. Masora verò magna textualis ad eundem locum Nu-

merorum sic refert, ב׳ כתו׳ כן חס׳ ו״ו קדמ׳ וסימ׳ ויבאו קרית חצות׳ והצות תשים לך ברמשך׳ וכל ירמיה דכוו׳ חצות׳ וא׳ בחוצת כתיב חסר ו״ו תניין וסימ׳ ואל תבשרו בחוצת׃ ושארהון חוצות מלאים דמלאים. Hoc est, *Duo sic scribuntur, deficientia priore vau. Index, Et venerunt ciuitatē plate arū, Et plateas pones tibi in Damasco,* (id est Num. 22. v. 39. & 1. Reg. 20. v. 34.) *Et omnis Ieremias similis est* חצות, *Vnum autem scribitur* בחוצת *deficiens vau secundum, Index, Et ne annuntietis in plateis.* (id est, 2. Sam. c. 1. v. 20.) *Reliqua autem scribuntur* חוצות *vtrinque plenè.* Iuxta Masoram igitur apud Ieremiam debet hæc dictio defectiuè semper scribi: sed in Bibliis Venetis, & aliis vulgò excusis quater plenè scribitur. Ierem. 5. 1. c. 7. 17. & 34. c. 14. 16. Præterea in versus nota Masora legit, ואל, nunc in textu abest coniunctio copulans.

Iterum eiusdem dictionis occasione monebo, Masoram magnam ad dictionem חוצתיה, notare, ב׳ כתובין כן בלישנ׳ וסימ׳ נמסר ביחזקאל סימן י״א, *Duo sic scribuntur, in hac significatione, Index traditur cap.* 11. *Ezechielis.* Sed Ezech. c. 10. v. 6. Parua Masora notat, ג׳ כב׳ בליש׳, *tria sic scribun-*

tur in hac significatione, Magna verò textualis, ג׳ כתיב כן בליש׳ וסימ׳ אל תגידו בגת׳ מלאתם חוצותיה׳ חגרו שק׳ וכל ירמיה דכוו׳ חצות כתיב, *Tria scribuntur sic in hac significatione, ne annuntietis in Gath*, (2. Sam. 1.20.) *& impleuistis plateas eius.* (Ezech. 11. 6.) *Cingite saccum.* (Isaiæ 15. 3. vel 8.) *Omnis autem Ieremias similis est, scribiturque* חצות. Quintuplex error, 1. Vna Masora tria enumerat, alia duo, licet ea quæ duo Lectorem remittat ad eam quæ tria. 2. Index primæ dictionis falsus, aut si sequendus, corrumpenda dictio Biblica, & legendum חוצתיה pro חוצת. 3. Apud Ezechielem in Venetis & Vulgatis excusis non scribitur, vt iubet Masora, חוצתיה, sed est dictio vtrimque plena. 4. Omittit Masora Ezech. 28. 23. בחוצותיה. Itaque si Masoræ inhærendum, ista dictio est è textu expungenda. Omittit Ps. 144. 13. בחוצתינו. Si dicas Masoram intelligi debere de dictione חוצתיה, regero. Ergo malè allegauit caput Isaiæ 15. 3. nam ibi legitur nunc בחוצתיו, aut erit iuxta ipsius præscriptum illa dictio mutanda in בחוצתיה. Denique confirmat Masoræ supra allatæ multiplicem in libro Ieremiæ errorem. Sat à proposito digressi sumus. Errores innumeri

consimiles in correctiori Masora passim ab iis qui istius artis non sunt imperiti deprehenduntur, quoties illius obseruationes examinantur. Excipio semper τὸ קרי וכתיב cuius obseruatio vtilissima ab aliis omnibus plurimùm differt. Id sępissimè in Exercitationibus nostris editis & edendis experti sumus. Nunc iudica Lector quàm tutum sacros codices ex Masora corrigere & restituere. Facilè iactatur, Masora, sepes est legi; post Masoram lex corrumpi non potest. Qui sic iactat, id bis, terve tentet, statimque illi aqua hærebit.

ANIMADVERSIO

In cap. nonum Exercit. quartæ, in qua de modo in correctione Ecclesiast. translationum adhibendo iuxta Censoris sententiam, deque variarum lectionum quæ in Hebræo textu occurrunt grauitate & leuitate disseritur.

CEnsuræ cap. noni eiusdem Exercitationis iam responsum est in abstersione quartæ calumniæ: Nonnulla tamen præteriuimus quæ mihi videntur animaduersione digna. Concedit cum autore libri Cozri quem citaueramus varietatem

lectionum in Iudæorum codicibus si omnis generis exempla consideremus, esse innumeram. Nihil vnquam durius de istis codicibus pronuntiauimus. Sed addit, varietates illas quod ad sententiam attinet, nullius esse momenti. Mirum est quod cum librorum Iudaicorum mendæ vt ipse vult, sint innumeræ, nulla tamen alicuius momenti deprehendatur. Saltem illi vnus aut alter locus erat excipiendus: docet enim p. 143. Iudæos vnum aut alterum locum malignè corrupisse, præsertim v. 17. Psal. 22. quod nos de quocũque loco non satis probabile semper existimauimus.

Est & aliud quod quiuis Catholicus mirari magis debeat. Nullam vult Censor esse in Hebræo textu alicuius momenti mendam. De Græca verò & Latina Ecclesiæ translatione quid censet? sic sermocinatur pag. 65. *Sed vtraque fortasse mendis & vitijs quibusdam infecta etiamnum conspicitur. Esto, an vestis maculis aspersa, aut perperam, præterque artem facta, statim est deponenda aut abijcienda, an potiùs eluenda aut corrigenda?* Versionum Ecclesiasticarum præclaræ laudes, perperam, præterque artem factæ sunt. Erga tamen earum autores beneficus est Censor, &

clemens. Abiiciendas non ſancit, ſed tantùm eluendas & corrigendas. In iſta autem correctione quis modus tenendus? Hoc etiam nos docet Cenſor pag. 66. alia ſimilitudine quam notari velim, *Verùm,* inquit, *teneatur modus, idque honoris antiquitati habeatur, Veteres vt illæ verſiones non ſubuertantur totæ; ſed quemadmodum in lacera naui fieri ſolet, in ijs ſolùm quod opus erit, reſarciatur, ſic vt eædem manere dici poßint, non ſecus atque nauis eadem perſeuerat ex Iuriſconſultorum ſententia, etſi puppis, prora, aliaque latera fuerint adtexta.* Quis hoſtium Vulgatæ Eccleſiæ tranſlationi infenſiſſimorum modum in ea corrigenda exegit vnquam tam immoderatum? Quis eorum antiquitati Eccleſiaſticarum tranſlationum honorem ampliorem non detulit? In hæc animaduertere aliorum eſt, non noſtrum.

Sententiam ſuam quòd mendæ Hebraicæ nullius ſint momenti, Cardinalis Bellarmini autoritate tuetur; quàm appoſitè Lector iudicet. Verba hæc refert ex c. 2. lib. 2. de Verbo Dei, *Totam variarum lectionum Hebræi textus diſcrepantiam plerumque in dictionibus quibuſdam poſitam eſſe quæ ſenſum aut parum, aut nihil mutant.*

Quis harum rerum peritus negat id plerumque fieri, vt docet sanctus ille Cardinalis? Sed quo consequentiæ vinculo illa Cardinalis sententia hanc Censoris assertionem demonstrat? *Fatemur libenter varietatem lectionum in Iudæorum codicibus esse innumeram, sed eam quæ nullius momenti sit, quod ad sententiam attinet.* Præterea verum est neminem de hoc variarum lectionum momento certò iudicare posse: Multæ enim sunt quæ nunc omnibus rectè iudicantibus nullius momenti videbuntur, quæ nouis hæresibus exortis maximi momenti esse incipient; quia vnam lectionem faciliùs alia in suam sententiam trahent, aut faciliùs iuxta alterutram Catholicorum argumentum eludent: futura autem omnia præuidere nulli hominum datum est.

Sæpissimè Censor me toto libro compellat, quasi aduersus eum scripsissem de qua ioculari compellatione dictum est in secundæ calumniæ absterfione. Hoc capite non semel, *Haud inficiati sumus vnquam leuiculas mendas, aut si vis etiam errores fortè & casu, aut etiam Librariorum inscitia ac negligentia in textum Hebræum obrepsisse, &c.* Quid affirmares aut negares,

Censor, cum Exercitationes illas scribebamus, non considerabamus, nec considerare poteramus, qui libros tuos non legeramus, nec hactenus præter istam Censuram legimus, nec vnquam te de hac re differentem audiueramus. Quod ad rem attinet, licet multis de mendis in Iudæorum codices illapsis aduersus Hæreticos & Iudæos egerimus, nihil tamen vnquam diximus quod sententiæ tuæ verbis iam relatis expressæ aliquid superaddat; vel etiam verbis quæ iterum ex Cardinale Bellarmino refers, mendas illas *non esse tanti momenti, vt in ijs quæ ad fidem & bonos mores pertinent, Scripturæ sacræ integritas desideretur.* Sed ista propositio ab ea multùm differt quæ mendas istas omnes nullius esse momenti quod ad sensum attinet, operosè contendit.

Fatetur, Censor, duorum versuum cap. 21. Iosue in multis Iudæorum codicibus expunctionem, additque, *Neque porro Hebraicam editionem sic tueri est animus, vt nihil prorsus impuri habere affirmemus.* Quid nos aliud ex duorum istorum versuum expunctione collegimus? En disputationis nostræ hac de re conclusionem pag. 360. *Duo igitur illi versus ab Esdra in Paralipo-*

menis ex hoc loco exscripti fuerant, sed temporum iniuriâ, & Iudaeorum incuriâ non secus ac multi alij, de librorum longè maxima parte deleti sunt. Quorsum igitur Censoris de actione falsi aduersus Iudæos institutæ tam dicaces querelæ?

ANIMADVERSIONIS

In cap. decimum Exercit. quartæ, Pars prior, in qua de temporum breuiario à Samaritis ad Iosephum Scaligerum misso, eiusque cum Pentateucho Samarit. conciliatione.

OFfendit etiam Censor in capite decimo & postremo Exercitationum mearum Samariticarum quod virgula sua Censoria notaret. Duo sunt quæ loco moueri iubet, quo iure consideremus. Exemplar Morini Samariticum, inquit, habet Mathusalam annorum fuisse sexaginta septem cum genuit Lamech: At Scaligeri exemplar habet Septuaginta septem. Ergo aliud erat Scaligeri, aliud Morini. Respondeo primùm, si propter vnam dictionem, imò propter duas, tres, quatuor, & multò plures Exemplaria dici non possunt eadem, non modò nulla Biblia, sed nulli libri cuiuslibet autoris antiqui

nunc dici possunt genuina & eadem. Quid de Bibliis Hebraicis colligere par erit, quibus innumeras varietates inesse capite precedente scripsit, vnamque non vnius dictionis, sed duorum versuum. Insulsa est igitur Cẽsoris consequentia, quam ex animo stomachoso, iraque ebulliente expectorauit indignatio.

Sed rem ipsam consideremus. Scribit Iosephum Scaligerum Pentateuchum Samaritanum penes se habuisse ab ipsis Samaritanis acceptum, atque ex isto codice quæ de Mathusala refert, exscripsisse. Quis Censori dixit Pentateucho Samaritano Scaligerum vsum? Quis hoc fando vnquam audiuerat antequam Censor id sibi persuaderet? Prostant Scaligeri libri Orientales & Hebraici in Academiæ Leidensis Bibliotheca, omnibusque huius rei, curiosis ostentantur: inquirat an eiusmodi codex ibi conseruetur. Si quis oculis suis credere non vult, credat Scaligero, qui in fine adnotationum in computum Samariticum scribit tantùm penes se fuisse magnam Chronologiam Samariticam, & χρονογράφιον sibi à Sacerdote seu Præfecto Alexandrinæ Synagogæ missum; & conqueritur de negligentia peregrinantium in

Palæſtina, qui eiuſmodi Pentateuchum alioſque libros ex quorum cognitione fructus vberrimi in ſacram Hiſtoriam redundarent, à Samaritanis non comparant. Iſtud χρονογράφιον, ſiue breuiarium temporum Scaliger edi curauit, in libris de emendatione temporum, Latinè vertit, notiſque illuſtrauit. In fine iſtius breuiculi quod vna paginula conſtat, texitur quinque aut ſex lineis Chronologia Samaritica ab Adam vſque ad Moſen, atque hinc hauſit quæ de Samariticis epochis ſcribit Scaliger, vt quiſque videre poteſt in libris de emendatione temporum.

At Cenſor teſtem profert Scaligerum ipſum in notis ad Græca Euſebij παντοδαπῆς ἱςορίας fragmenta. Ne fidamus Cenſori Scaligeri nomen ſuppreſſo textu iactanti. Ipſius verba referamus, *In libris noſtris de emendatione temporum produximus χρονογράφιον quod ipſimet nobis communicarunt Samaritani. Id cum hoc in omnibus conuenit præterquam in annis Malaleel, Enoch, Mathuſala, quod quidem diſcrimen vitio Librariorum hîc commiſſum.* Hæc fuit ſola Scaligeri Samaritica ſupellex. An Samaritarũ Pentateuchũ reticuiſſet, qui vnius paginæ cõpẽdiolũ ab iis ad ſe miſsũ tãtopere oſtentat?

Nunc

Nunc autem tentemus an breuiarium istud cum exemplari nostro in gratiam redire possit. Hic est integer chronologicus breuiarij contextus interprete Scaligero, *Ab Adam ad mortem eius* 130. *anni, Seth anni* 105. *Enos* 90. *Kainan* 70. *Malalcel* 75. *Iared* 72. *Henoch* 65. *Mathusala* 77. *Lamec* 53. *Noach* 700. *Arphaxad* 135. *Salach* 130. *Heber* 134. *Phaleg* 130. *Reu* 132. *Serug* 130. *Nachor* 79. *Thare* 70. *Numeri ad Abraham super quem sit pax anni* 2267. Iunge istos numeros, deprehendes 2377. Excessus igitur superat Epilogismum Samaritani istius Sacerdotis annis 110. Tolle igitur crassum errorem annorum Noach ad Arphaxad, & errorem annorum Mathusalæ qui annis decem superat nostros, videbis omnia congruere. Falsus est igitur Scaliger in Lectione & interpretatione istius breuis Samaritici, & Samaritæ mentem non est assecutus, vt vel ex primis verbis manifestum est. Characteris & scriptionis difficultas & insolita figura de quibus Scaliger grauiter conqueritur, ipsius industriam superarũt: *Typus*, inquit, *computi conceptus est literis pene inexplicabilibus. Itaque dicam serio, Herculeum fuit facinus legere, & lecta explicare. Nam diuinandum planè fuit, & ve-*

reor ne in quibuſdam hariolati ſimus. Huic difficultati accedit numeros illos in illo ſummario ſcribendi compendium. Animaduertit Cenſor numeros integrè non compendiosè ſcriptos eſſe, ne erroris occaſionem cauſari quis poſſit. Cæca prorſus ſpeculatio. Samariticum iſtud χρονογράφιον licet publicum non legit vnquam, nec Pentateuchum vidit. Quid cæco cum ſpeculis, & Cenſori noſtro cum eiuſmodi rebus?

Iudica, Lector, an tanta æquitate quanto ſupercilio Cenſor codici noſtro Samaritano κιβδηλίας notam inurat. Codici noſtro pulcherrimè ſcripto habebamus ſuffragantes Euſebij & Africani numeros ante mille trecentos aut quadringentos annos è codicibus Samaritanis exſcriptos; his conſentientem Georgium Syncellum hominem Græcum doctiſſimum ante circiter octingentos annos ſcribentem; alium inſuper codicem integrum lingua & charactere Samaritano deſcriptum. Cenſor verò totam notæ ſuæ figendæ contra tot argumenta rationem, Scaligeri Pentateuchum Samaritanum, qui nullus vnquam fuit, & temporum Summarium inexplicabilibus literis & numerorum com-

pendiis exaratum à se nunquam lectum, imò nec vnquam visum.

Paulò postquam ista scripseramus tres codices Samaritanos ab amplissimo viro & de literis optimè merito D. Peresio supremæ Curiæ Aquensis Senatore integerrimo, cuius mortem paucis antehac mensibus Musæ omnes collachrymauere, Parisiis accepimus, quorum vnus integer eosdem numeros quos de exemplari nostro exhibuimus, repræsentabat, alij hac parte erant mutili. Alius præterea codex celebratur, & dicitur esse Archiepiscopi Armachani, & ab eo è Palæstina in Hyberniam exportatus, qui Leydensibus Academicis nonnullo tempore fuit commodatus. Istum codicem vir clarissimus & doctissimus Thomas Comberus Anglus, quem honoris & officij reddendi causa nomino, cum textu Iudaico verbum è verbo, imò literã cum litera maxima diligentia & indefesso labore comparauit, differentiasq; omnes iuxta capitum & versuum ordinem digestas ad me misit humanissimè & officiosissimè. Hic codex integer eosdem redhibet numeros quos alij codices Samaritani antiqui & recentiores. Itaque manifestum est χρονογράφιον istud à Scaligero,

quod ipse non diffitetur, intellectum non fuisse, forsanque, vt in ætate τῦ Malaleel, ab ipso Samarita perperam aliquid exscriptum esse.

ANIMADVERSIONIS

In cap. decimum Exercit. quartæ, Pars posterior, in qua de sententia S. Hieronymi quæ spectat epilogismum annorum Mathusalæ secundum Samaritas.

ALterum quod Censoris seueritas pati non potest, spectat ad cap. 3. Exercitationis tertiæ, in qua de quibusdam S. Hieronymi verbis agitur, quibus ad calculum reuocans annos Mathusalæ secundum 70. affirmare videtur codices Hebræos & Samaritanos in annis Mathusalæ & Lamech concordes esse. Responderam ex verbis S. Hieronymi prima facie videri sic omnino colligendum esse; scopus tamen eius si diligentiùs perpendatur, verba ista nihil nobis officere. Scopus sancti est demonstrare ex consensu codicum Iudaicorum & Samaritanorum errorem irrepsisse in 70 Interpretes vbi de annis Mathusalæ, qui iuxta illorum calculos annis quatuordecim diluuio supervixit. Iudaici

enim & Samaritani numeri si dispungantur, ex vtrisque colligetur Mathusala eodem anno quo diluuium contigit mortem obijsse. Non inde tamen sequitur vtrosque eodem epilogismo id præstare, & numerorum hypothesim ab eo allatam ad vtrosque pertinere. Iudaici numeri noti sunt, eosque profert exempli causa S. Hieronymus. Ex Samariticis idem epilogismus subducitur. Mathusala in eorum codice dicitur annis 720. vixisse, anno verò 67. Lamechum genuisse, Lamechus autem Noachum an. 53, qui simul iuncti 120 conficiunt. Atqui anno Noachi sexcentesimo diluuium contigit: Ergo, eo ipso anno quo vitâ functus est Mathusala; quod erat aduersùs Vulgatos 70 Interpretum numeros S. Hieronymo demonstrandum?

Quid ad hæc Censor? suo more solens cachinnandi occasionem occupat. *Ficum*, inquit, *appello ficum*, addere debuerat, & ficulneum dictis meis auxilium procuro: *Nec quæro præter quod sonant verba*, Interpretationis genus Grammatico dignum, sed viris scientiarum peritis plerumque insipidum. *Miratur tam callidas interpretationes, seque non ita perspicacem* fatetur.

Ridentem dicere verum, Quid vetat? Quod ad rem ipsam attinet, nihil aliud quàm exscribit Hieronymiani testimonij antecedentia & consequentia. Sed ea difficultatis nodum non magis stringunt, quàm ea quæ citaueram; imò laxant magis, quum S. Hieronymi scopum euidentiùs aperiant.


Solutionem difficultatis è solis S. Hieronymi verbis cum Samaritano Pentateucho collatis probabiliter à nobis erutam, firmissimis autoritatibus illo loco confirmaueramus. Eosdem enim numeros qui nunc in Samaritanis codicibus leguntur, ante mille & trecentos annos Eusebius ex codicibus sui temporis exscripserat, atque ante eum Iunilius Africanus; longoque post eos tempore eosdem numeros in opera sua retulerunt Georgij duo Monachi, Syncellus & Cedrenus. Iidem igitur illi numeri qui nunc leguntur, ante & post S. Hieronymum non modo legebantur, sed etiam erant virorum doctorum scriptis celeberrimi. Quî igitur potuit S. Hieronymus Samariticos numeros vt incognitos cum Iudaicis confundere? Sed est quod vrgeat magis. S. Hieronymus Latinè vertit illud ipsum opus Chronicorum Eusebij

canonum in quo referuntur, extatque etiam nunc in Temporum thesauro Scaligerano licet multis locis mutilum. Cui igitur fiet probabile S. Hieronymum numeros Samariticos eosdem cum Iudaicis credidisse?

Hæc aliaque eiusmodi à nobis adnotata præterit Censor velut omnibus mortalibus incognita: Audetque hæc addere, *Nunquam profectò D. Hieronymus diligentissimus scriptor siluisset diuersitatem inter Hebraicum & Samariticum codicem, si qua tum fuisset. Iniuria, credo, fit D. Hieronymo si aliter credatur.* An Censorem accusare debeas obliuionis, an ignorantiæ, an temeritatis parum pudentis, Iudica Lector. *Diuersitas si qua tum fuisset?* At Africanus & Eusebius eandem Samaritarum & Iudæorum diuersitatem publicis & celeberrimis scriptis adnotarunt: At S. Hieronymus Eusebiana illa scripta Latinè vertit: At ipse Censor initio Censuræ huius decimi capitis ex Eusebianis fragmentis apud Scaligerum extantibus eandem illam Samaritarum à Iudæis diuersitatem non agnouit modo, sed etiam restitutionem annorum Enochi à me factam, & Mathusalæ à Scaligero comprobauit.

Vtraque autem restitutio vt & deprauatio erant à Iudaicis numeris diuersissimæ.

Censor, si sapis, crede mihi, Spartam quam nactus es, hanc exorna. Analphabetos prima Grammaticæ Hebrææ rudimenta annis iam viginti quinque docuisti: In hac palæstra senuisti, in ea te iacta; hinc laudem consequi potes. Noli amplius discere, vt in hac causa temerè fecisti, ἐν πίθῳ τὴν κεράμειαν, ne quis tandem in te meritò torqueat quod Apelles cuidam in officina sua de picturis & imaginibus imperitè disserenti, non inficetè respondit, Num vides verba, rationesque tuas, pueris qui hos colores terunt, miscentque risum concitare?



FINIS.



